


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

Bg: 10/6 A·X·O·2
4
2347/A

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

42940

# IACOBI FONTANI MEDICI CLARISS. ET PRIMARII IN Aquensi academia, Regij Professoris.

## COMMENTARIA:

*In Hipp. omnes Aph. cum docta, breui, fida, ac perspicua enarratione, nouaque Methodo, omnibus medicinam profitentibus perutili & necessaria.*

Eiusdem tractatus absolutissimi, De Crisιων & morborum causis, aliique nonnulli, in quo priori, fracastorij sententia de Cris. causis eruditè defenditur.

AD

*Doctissimũ & Prudentissimum DD. Nicolaum Fabricium Dominum de Peiresc Consiliarium regium in supremo Senatu Aquensi.*

*PARISIIS.*
Apud ADRIANVM BEYS, Via Iacobæa.

M. DCVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



DOCTISSIMO, ET PRVDENTISSIMO D. D. NICOLAO Fabricio Domino de Peiresc, Consiliario regio in supremo senatu Aquensi.

Iacobus Fontanus. S. D.



*Rtem longam, vitam verò breuem pronunciauit Hippocrates. Vitæ artem conformem, vna sola potest reddere methodica superfluorum excisio. In Aphorismis Hippocratis nihil legitur quod trũcare posit, sine operis dedecore & authoris iniuria, verum quia ab eo congesti fuere aphorismi in aduersaria, eam ob rem methodi ope egẽt. Ordinis autem ratio præcipua, à fine proposita pendet: ea enim quæ me-*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*thodo diſponuntur, à fine ſuum locum, & ſedem ſibi vendicant. Finis artis medicæ eſt curatio morborum, cuius auxilio ſanitas in priſtinum ſtatum reſtituitur. Digeßimus ergo optima ratione Aphoriſmos, quatenus ad curationem morborum ſpectant. Ea vero quæ in his, contemplationis eſſe videbantur, retulimus ad curationem: vana etenim prorſus eſt in medicina contemplatio, quæ ad curationem non refertur. Si quis itaque in medendo egeat Aphoriſmis, ad victus rationem pertinentibus, ad ſanguinis mißionem, purgationem, & alios ſcopos, denique ad prædictionem, in hoc opere facili negotio, ad vnum caput redactos inueniet breuiter, & dilucide explicatos. Scio multos triuiſſe eandem viam, ſed diuerſo propoſito, nec ita praxi medicinæ accommodato. Hunc vero quem in*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*hoc opuſculo condendo inſumpſi laborem, tuo fauore tectum, in lucem prodire exopto, qui virtutum & ſcientiarum omnium cumulo coruſcans, fugabis omnia omnium obtrectatorum conuitia, efficieſque, vt hoc opus medicinæ ſtudioſis vtile, ſit omnibus futurum iucundum: cum ita, his non tantum placeas, ſed etiam reliquis omnibus qui literarum ſtudiis incumbunt, vt nullam ſibi ipſis propriam virtutem eſſe putent, niſi tibi teſtatam, & acceptam intelligant. fauebis igitur, tua benignitate, noſtro labori, vt omnibus gratus ſit: eo beneficio multos tibi deuinces, & Fontanum aliis de cauſis familiæ veſtræ deuinctum, hoc ſingulari munere in perpetuum tibi obſtringes.* Vale ex noſtro muſæo. Aquis ſextiis Calendis Martiis 1608.



## AD
## *Lectorem beneuolum.*



EN tibi lector Candide clariſſimi ἀρχιάτρου Iacobi Fontani βιβλίον παλαιόκαινον, Aphriſmorum (inquam) diu paſſimque diuulgatorũ, noua cõmentaria Methodo noua & ſuccincta diſpoſita, varia doctrina, noua etiã illuſtrata, vera tamẽ eſt, & ſi quæ alia, fida, facilis, breuis, & perſpicua, medicinæ animum applicantibus accommodatiſſima, praxique non minus vtilis quam neceſſaria: Enimuero cũ veriſſimum ſit illud ſummi dictatoris pronũtiatum ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ ſumma ope niti decet virum medicum τὸν βίον μακρὸν, τὴν δὲ τέχνην βραχεῖαν ποιῆσαι,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

quo imperitus cito diſcat, eruditus autẽ bene & cito iudicet: hæc ab authore in præſenti ſtrennuè ſũnt præſtita, nã præter ordinem qui memoriam & iudicium iuuat, doctrina & perſpicua breuitas huius operis commendationem facit. Nec eſt cur parua moles te ab eiuſdem lectione deterreat οὐ γὰρ ἐν τῷ μέγα εὖ, ἀλλὰ ἐν τῷ εὖ μέγα. His itaq; mecum vtere ſedulo Amice lector, proculdubio, non minorem vtilitatem ex hoc opuſculo (quod nobis Clariſſ. & Prudentiſſ. viri cõſiliarij D. Fabricij, D. in Peireſc auctoritate, & amicorum precibus, contigit) reportaturi, quam ex doctiſſima, facili, ſuccique pleniſſima huiuſdem authoris Methodo, quæ nunc, cum fructu vberrimo, omnium ferè manibus te-

ritur: insuper fontanum ipsum, τῆς Ἰατρικῆς παιδείας καλῆς γε, καὶ τελειοτάτης πηγὴν ad maiora, melioraque incitabimus, vsq; adeo, qui nunc scaturiginem, modo fontem dabit: talis enim est summi viri & literati erga τοὺς φιλομάθας animi propensio & volũtas. Porro benigne lector, etsi omni studio in eo solo incubuimus, vt quã paucissimis mendis afflueret præsens hic liber, attamen propter authoris absentiam, eiusque in ἀπογράφῳ suo insolitum characterem, tum quoque Typographi ἀμβλυοπίαν, voti compotes per omnia fieri non potuimus; quocirca te qui labores nostros capis non carpis, obnixe rogatum volumus, vt si quæ errata in ὀρθογραφίαν commissa occurrant, æqui bonique consulas & corrigas. *Vale, faue, fruere.*

Οὐδὲν σθένος ἄνευ φρενός.

DOCTIS-



# IACOBI FONTANI

MEDICI ET PRIMARIJ Regis Professoris in Aquensi Vniuersitate.

## PRÆFATIO.

*In Aphorismos Hippocratis.*



IPPOCRATES doctrina admirandus senior iam factus, in memoriæ suæ, & posteriorũ subsidium præcipuas artis medicę propositiones collegit, quas aphorismos appellauit, quasi separationes, & distinctiones, à verbo ἀφορίζω, quod est distinguo, & separo. Aphorismus autem Theophilo, est oratio concisa perfectam sentẽtiam complectens, & Gal. Comment. In Aph. 1. lib. 1. disciplinæ genus, quod breui verborum circunscriptione omnia, quæ ad aliquam rem necessaria sunt, complectitur. Triplici

verò ſtylo Hippocratés ſua operà deſcripſit, quo ſeſe accommodaret diſcentibus & peritis, illis quippe ſcripti ſunt lib. ſtylo explicato, & fuſo, ad perſpicuitatem doctrinæ, vt de arte, de veteri medicina, de morbo ſacro, & alij quamplures: his verò doctis ſtylo breui, & conciſo, per ſumma capita, recordationis cauſà. Placet enim prouectioribus in doctrina, paucis multa complecti: hoc modo Aphoriſmi ſũt exarati, coäce prænotiones, prognoſtica, de alimento, & de humoribus, lib. Inter quos, quidã tãta breuitate & obſcuritate conſtant, vt oraculi ſententiæ grauitatem redolere videãtur, quales ſunt de alimento, & de humoribus: Quid enim obſcurius dici poteſt lib. de alimentis alimentorũ & alimẽti ſpecie, vnum & multa, ſpecies vero humido & ſicco, & in his forma & quantitas: & in libris de humoribus, nuditas, viſcerum inanitio, quibus infra repletio quibus ſupra nutritio, & ſexcenta ſimilia, in quibus explicandis præ cæteris laborarunt Gal. Cardanus & Vale-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ſius: Alius hippocraticus ſtylus mē-
dosè modo habet diſcentibus, & 
doctis quodammodo vtilis, vt li-
brorum Epid. de victus ratione. In
morbis acutis, & aliorum. Hæc ſty-
li Hippocratici diuerſitas ingenij
eius ſublimitatem oſtēdit, qui vt ſa-
piens innumeris moribus, aptus eſt.
Ita omni ſtylo animi ſui conceptus
explicare norit: multi verò de ob-
ſcuritate doctrinæ aphoriſticæ con-
querũtur: quæ obſcuritas pendet ex
breuitate. Illud enim Horatij notiſ-
ſimum eſt, dum breuis eſſe laboro
obſcurus fio. Reſpondemus, doctis
aphoriſmos ſcripſiſſe, qui eiuſmodi
ſtylo oblectantur: verum breuitati
facilitas quædam cōciliari poterat.
Si methodo, & ordine fuiſſent deſ-
cripti: Methodus namque & ordo
perſpicuitatem doctrinis pariunt:
hi verò aphoriſmi ſiue methodo &
ordine deſcripti perhibentur, qui-
dam tamen ordine eos cōſtare opi-
niantur: verùm quoniam hi apho-
riſmi ad praxim maxime referun-
tur: In ea autem diagnoſis, pro-
gnoſim antecedit, & eam ſubſe-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

quitur curatio, ordo ille nullo modo obſeruatus percipitur, neque vllus alius. Ratio enim methodi requirit, vt omnia quæ pertinent ad vnum caput ſeſe quodãmodo conſequantur: atqui de purgatione, de victus ratione, de prognoſi, in variis egit libris, hoc tamen culpa HIPPOcratis non cõtingit: referebat enim illas ſentẽtias in aduerſaria digeſturus in ordinem ſi vita ſuperfuiſſet. Poſſunt itaque in ſeriem quandam & ordinem reuocari eos referendo ad capita ſua: eoque pacto erit vtilior eorũ lectio, & facilius memoriæ commendabũtur: quam ob cauſam nos explicabimus primo loco omnes Aphoriſmos, qui ad victus rationem ſpectant, ſecundo qui ad purgationem, deinde perſequemur reliquos digerendo per ordines & claſſes, progrediendo ſemper à generalioribus, ad minus vniuerſalia; animaduertendus autẽ præter breuitatem, & ſententiæ perfectionem modus ſcribendi HIPP. in Aphoriſtica diſciplina, ſolet quippe generis alicuius ſingularem ſpeciem, loco

generis ponere, quæ ſit maxime accõmodata, ad illigẽdum, illud quod genericum eſt: vt eryſipelas foris intrò bonum. In quo ſi humor bilioſus, ex quo conſtat, feratur è partibus internis ad externas bonum, & laudabile cenſetur, vt explicet hoc theorema, omnẽ motum humoris morbifici à partibus internis nobilioribus, ad externas eſſe laudabilem. Partes enim nobiles internaque viſcera ſignificantur robuſta, quæ expellunt humores noxios ad externas ignobiliores: eo pacto quo ſolẽt vrbium magnates, milites hoſpitandos, ad pauperem plebeculã relegare, abundantes poteſtate & diuitiis. Eodem planè pacto 3. Aph. lib. 1. Athletarum exemplo ſpecifico volunt docere, vniuerſum morbum à repletione natum euacuatione curari, vt ipſe ſcripſit 20. lib. Et Demum contrariorum contraria eſſe remedia: ſed quorſum hoc præſtitit, Medicus eſt artifex ſenſui addictus: Ariſtotelésq; ſcripſit Medicum curare Socratem: atque ſpecies eſt propinquior, & ſimilior

indiuiduo, quam genus: nec ſcientia vlla indiuiduorum conſtitui poteſt: ex Ariſtotele in libris de demonſtratione: ergo iure & merito in medica arte generis loco proponit artifici ſpeciẽm contẽplãdam, quo facilius deſcendat ad indiuiduum proximum. His poſitis, quæ erant neceſſaria ad libros Aphoriſmorum facilius intelligendos. accedamus ad textus aphoriſmorum explicationem.

VITA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



VITA BREVIS, ARS *verò longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile: nec solum seipsum præstare oportet officio fungentem: sed etiam ægrum & assidentes, & externa.*

## Aphorism. 1. Sect. 1.



PHORISTICAE doctrinæ conscribendæ causam, & rationem veritatis Aphorismorum tradit Hipp. hoc primo Aphorismo, seu præfatione totius operis: ac si diceret scribo aphoristicè hos libros, & breuiter, quia vita breuis est, & ars longa: nisi enim ars, quæ longa est in compendium redigatur, quo pacto, vita existente breui, poterit ab homine comprehendi? Quare Gal. cap. 6. lib. 6. de simpl. Medic. facult. inquit, maximo studio festinemus, viam iure compediosam: nempe quærendo quæ sunt in arte vtilissima. 2. occasio præceps est in morbis acutis, nemo autem optime occasionem applicandi remedij, nouerit, nisi artem ad anuissim calleat, non potest autem in breui vita, nisi compendiosè ars doceatur 3. experientia est periculosa, siue difficilis, vt scribit lib. de humoribus: quare nisi medicus perfectè



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

dignoſcat artem, experiri remedia ſine periculo non poteſt: quare ars docenda breuiter. 4. iudicium eſt difficile in particularibus morbis, propter cõcurſum morbum, cauſarum & ſymptomatum: quæ perturbãt mentem Medici iudicantis: hæc autem difficultas, non poteſt ſuperari, niſi arte ſit inſtructus: perfectè ergo breuiter tradatur oportet: Quare quia vita breuis eſt, & ars longa occaſio præceps; experientia periculoſa, iudicium difficile, debeo deſcribere artem Aphoriſticè. In ſecunda parte aphoriſmi agit de veritate aphoriſmorũ, vt nemo ſibi perſuadeat eſſe abſolutè veros, ſed cum conditionibus dicendis, nimirum ſi Medicus ſuum præſtiterit officium doctrina, ſtudio, ſollicitudine & diligentia, ægrotus ſuum, obſequendo Medico: aſtantes etiam, exequendo, quæ Medicus imperauerit, & externa ſint parata omnia, nimirùm res non naturales: atque ſi hæc obſeruata fuerint, tum demum Aphoriſmi veri exiſtent, aliter non poſſunt.

*De victus ratione.*

AD hoc caput referemus omnes Aphoriſmos pertinentes ad victus rationem: victus autem ratio, eſt commoda rerum non naturalium adminiſtratio, aëris ſcilicet, ſomni, vigiliæ, motus quietis, potus, cibi, animi pathematũ, inanitionis, & repletionis, ad ſanitatem conſeruandam, ad ſtatum neutrum corrigen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

dum, & ad morbum curandum. prima ratio tuendæ ſanitatis: ſecunda pracautio ſine prophylaxis ne incidat aliquē in morbum, aut ne morbus, qui præteriit reuertatur. Nam corporis humani conſtitutio triplex eſt, ſana, ægra, neutra: eaque vel decidentiæ vel conualeſcētiæ, tertia eſt curatio per res non naturales: Atque victus ratio pharmaciæ, & chirurgiæ præferenda eſt: quod chirurgia non vtamur, niſi in magna neceſſitate: pharmacia vero, niſi turgente materia, aut cocta, Aph. 22. lib. primi. At victus ratione in omnibus, & ſemper vtēdum. Hip. agit de victus ratione in his libris Aphoriſticis, quæ cōſiſtit præſertim in cibis & potibus exhibendis, quæ communiter diæta appellatur, eius ſcopus eſt præcipuus facultatis vitalis conſeruatio & reſtauratio per alimentum, in quo alimento conſideratur: quantitas, qualitas, tempus, vtendi modus: victus autem eſt tenuis, vel copioſus & largus, aut mediocris comparatione facta cum viribus facultatis vitalis & naturalis nutrientis, Quæ vel eſt robuſta, debilis, aut mediocris: cognoſcuntur autem per operationes ſuas: vt enim ſe habent facultates, & eorum inſtrumenta ita operationes ab illis emanātes. Victus tenuis eſt, qui qualitate ſiue ſubſtantia parum nutrit vt pulli iuſculum, copia exigua datur, & raro, vt ſemel vel bis in die: Largus contrarius, qui ſubſtantia multum nutrit, copioſus & frequens eſt: medius medio ſe habet modo. morbus verò, vel eſt lōgus, vel acu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tus: hic, vel est acutus simpliciter qui ad 14. diem porrigitur, aut acutus exactè, qui extenditur ad 9. aut 11. diem, vel per acutus, qui vel simpliciter peracutus est ad 7. diem extensus: aut exactè peracutus, qui 3. aut 5. die finitur. Aliud est morbus acutus, impropriè appellatus, qui ex decidentia dicitur, quando scilicet morbus acutus ad 14. diem deductus perseuerat ad 20. & secundum aliquos ad 40. morbi qui prætergrediuntur 40. diem longi appellantur. his positis tanquam suppositionibus, inquit Hipp. Victus tenuis & exquisitus in lõgis morbis semper est periculosus: quia cum egeant hi, qui tali morbo vexantur virium robore, propter longitudinem morbi eas dissipantem indigent pleniori alimento, quo sustententur: aliter enim deficient in itinere vires, ergo victus tenuis in longis morbis periculosus est. In acutis verò in quibus non conuenit est etiam parum tutus, hæc particula (in quibus nõ conuenit) significat victum tenuem aliquando conuenire in morbis acutis, & aliquando non conuenire: conuenit quãdo vires ægri sunt robustæ, & morbus est aut exactè peracutus, aut peracutus simpliciter: nam vires illæ, cum pauco alimento poterunt persistere vsque ad finem morbi acutissimi. Quare Hipp. Aph. 7. lib. huius scribit: cum morbus est peracutus extremos statim habet labores, summéq; tenuissimo victu est vtendũ: non conuenit autẽ cum vires debiles sunt, & morbus simpliciter acutus aut

exactè acutus: nõ poteſt enim æger cũ tãta viriũ debilitare viuere vſq; ad morbi terminũ: quare Hipp. poſtrema parte Aph. citati, inquit: cum verò morbus non ex exactè acutus, ſed pleniorem victum licet exhibere tãtum de extrema victus tenuis ratione demendum: quantum extremis morbis fuerit remiſſior: Rurſumque, inquit victus, qui ad extremam peruenerit tenuitatẽ moleſtus, probat, illud argumento dicto à contrariis: quia quæ ad ſummam plenitudinẽ perductæ ſunt repletione moleſtæ: Nam omne nimiũ & excedens naturæ inimicum ex 51. lib. 2. Aph. 4. lib. 2. Non ſatietas, non fames: neque aliud quidquam quod naturæ modum excedat bonum. Natura enim moderata & temperata gaudet moderatis, moleſtatur ab excedentibus ſimile enim ſimili conſeruatur, & à contrario deſtruitur.

*VTRVM IN OMNI DIÆTA præſcribenda ſumatur indicatio à viribus agri.*

VIctus tenuis vires debilitat: atqui robur virium non indicat ſui debilitatem: ſed potius conſeruationem: nam à viribus ex Galen. in lib. meth. Med. deſumitur indicatio vitalis id eſt vitæ cõſeruandæ, ergo à viribus nõ ſumitur dietæ præſcribẽdæ indicatio. Quo ſatisfiat huic argumento intelligendum indicationem eſſe demonſtrationem alicuius rei facien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

dæ circa corpus humanum. Illa autem demonſtratio, ſiue iudicium ſumitur ab aliqua re indicante: vt, ab ætate, viribus, morbo, & aliis præterea indicatio ratione rei indicantis, aut eſt magna, aut eſt parua. Quippe extremis morbis extrema ſunt adhibenda remedia, paruis parua: vires itaque licet indicent ſui conſeruationem: tamē debiles magis quàm robuſtæ: nam illæ niſi ſuſtineantur interibunt, hæ conſeruabuntur aliquo tempore. Porro facultas eſt debilis, aut ab oppreſſione, aut à diſſipatione, ab oppreſſione, id eſt, à cumulo humorum: à diſſipatione autem, quando deperditi ſunt ſpiritus, & calor innatus. his poſitis in morbis contemplamur naturam & morbum, natura morbo aduerſatur, & coquit alimentum ad ſuam conſeruationem: verum quia vna eſt natura, & virium præfinitarum: tantum demitur de viribus contra morbum dimicantibus: quātum earum eſt neceſſarium, ad cibum coquendum: ergo quando robuſta eſt pauco eget alimento ad ſui conſeruationem, vt poſſit contra morbum fortius dimicare: cum verò debilis eſt multo, non quantitate: ſed numero exhibitionum: vt ſcilicet parum detur propter debilitatem. Nam debilis non poteſt magnam alimenti quantitatem conuertere in ſubſtantiam partium: ſed quia debilis, ſæpè danda eſt illa parua quantitas ne deficiat: quare dietæ ratio ſumitur per ſe à viribus, & per accidens à morbo: nam ſi maior, quam par ſit exhibeatur cibus, natu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ra reuocabitur à pugna, quam cùm morbo committit, vt coquat alimentum: at quæ necessitas est, vt natura reuocetur à pugna, vt coquat alimentum? quia nisi coqueret corrumperetur, augerétque causam morbificam: satius ergo est, vt coquat alimentum, & quantum potest agat contra causam morbi, quam si relicto alimento crudo studeret profligationi causæ morbificæ: maius enim damnum est euitandum: maius autem est illud damnum, quod ab alimento corrupto proficiscetur, quam à causa morbifica, quia alimenti corrupti materia esset cruda, morbifica iam incepit coqui: crudū vero difficilius subigitur, eo, quod coqui iam incepit. Per se ergo indicatio sumenda à viribus in diæta præscribenda, & peraccidēs à morbo: vt enim explicatū fuit: cum morbus est peracutus, efficit vt præscribatur victus tenuis, ne reuocetur natura ab oppugnatione morbi, ad coctionem alimenti, reddatúrque ea ratione debilior: & morbus robustior. Absentia enim inimici vnius, alterius roboris causa existit: potior tamen esse dicitur ratio virium quam morbi. Ideirco practici iubent, vt manu dextra viribus opitulemur, & sinistra morbum oppugnemus. Cæterum, cum vires ab oppressione fuerint debiles, est vtendum tenui victu, à dissipatione autem paulo largiori numero exhibitionum, non quantitate.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*IN TENVI VICTV ÆGRI delinquunt, quo fit vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur magnus, maior in hoc fit, quam in paulo pleniore victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valde exquisitus victus, & constitutus: quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus magna ex parte periculosior est eo, qui paulo plenior.* 51.

QVia mensura diætæ difficile præfinitur propter difficilem cognitionem: in particulari virium & morbi, quo Medicus in ea præscribenda minus erret, suadet Hip. vt potius peccemus excedendo: contrariò penitus modo, quam in purgatione in qua deficiẽdo satius est peccare, quam excedẽdo. Nam vt in diæta præscribẽda defectꝰ facile resarciri nõ possunt, ita facile in purgando compensari: nam facilior est, à negotio & pleniori victu ad otiũ, & tenuem victum mutatio, quam contra ab otio ad negotium. In purgatione verò potior est repetitio medicamenti debilis quam reparatio damni ab excedente nati: Adde quod si tenui victu fuerit vsus æger in primis diebus cogarísque deinde ob virium debilitatem largiorem vsurpare victum: natura reuocabitur, à pugna, quam committit cum morbo, nec poterit duobus superãdis par esse: ergo ægroti magis peccant in victu tenui, quam in paulo pleniore: probat Hip. suam sententiam ex damnó

quod contingit ſanis ex obſeruata exquiſitiori & tenuiori victus ratione. Quoniam illi errores grauius ferant. Id eſt ſi quando illi faciant ſubitam mutationem ab illo exquiſito victu ad largiorem, & pleniorem, cruditates multas colligunt, ex quibus naſcuntur obſtructiones, & ab illis putredo, tum demum febris, quare ſuadet ſanis vt quamlibet aquam obuiam potent à conſuetis enim minor fit paſſio.

*EXTREMIS MORBIS EXtrema exquiſitè remedia optima ſunt, Aph. 6 ſect. 1.*

OMne remedium debet eſſe æquale morbo ex Gal. ſuperatio vero pēdet à viribus: Ergo extremis morbis extrema debentur remedia. Remedia autem cōſtituuntur in dieta, chirurgia, & pharmacia: ergo extremis hæc debentur remedia: extremos verò Gal. interpretatur magnos, qui ex eodem cap 6. lib. 4. Meth. medendi, magni dicuntur ſymptomatum magnitudine, partes obſeſſæ præſtātia, & cachœtia, ſiue malignitate humorum: verum omnibuſne extremis morbis extrema ſunt adhibenda remedia? reſpondemus, magnitudo morbi indicat quidem magnitudinem remedij per ſe, ſi vires coindicent, & poſſint ferre: quare in morbo magno ſi vires fuerint robuſtæ, magna concedemus remedia: ſi debiles nō idem: verum ſintne tales

les deferendi fine remedio? si Medicus agnoscat sua arte, tales esse plane desperatos: id est, ita superari naturam à morbo, vt nulla sit reliqua salutis spes, sequẽdum est illud celsi edictum, non sunt infananda remedia, quę multis auxilio fuere, sin autem res in ambiguo sitæ sint vitæque aliqua salus sit sperabilis, satius est ex eodem celso, anceps remedium experiri, quam nullum, adhibito tamẽ prognostico: dubij iudicij causa est iam dicta in 1. Aphor. tamen melius est inquit Gal. ęgros iuuare cum periculo quam nullo prorsus remedio adiutos mori permittere. Hoc namque est crudelitatis, illud humanę charitatis, fitque in hac arte, vt in cęteris id quod melius est, non quod simpliciter bonum.

*CVM ITAQVE MORBVS peracutus est, extremos pretinus labores habet summéque tenuissimo victu est vtendum: quum verò non est, sed pleniorem victum licet exhibere, tantum de extrema victus tenuis ratione remittendum, quanto extremis, morbus fuerit remissior. 7. 1.*

APhorismo 5. propter ancipitem diætæ præscribendæ cognitionem, suadebat Medico, vt preferet longiorem victus rationem, tenui: posthac verò ex pręfixis & certis indicationibus modum vitæ præfinit certum. In hoc Aph. & in sequentibus, & primo dicit indicationem à morbo peracuto simpliciter, aut exactè

per-

peracuto: in quo ſummè tenuiſſimo victu eſt vtendum, nimirum, aut inedia cibi mera, aut perexiguo cibo, ducit verò nos in cognitionem horum morborum ex laboribus extremis, quos habẽt coniunctos ſcilicet ſymptomata extrema, vt vigilias, deliria, lippothymias, agitationes magnas corporis, dolores acerbos: potéſtque talis efformari ratiocinatio, illi morbi, qui extremos habent labores, ſunt extremi & peracuti: extremis autem morbis extrema debentur remedia ex ſuperiori Aphorſ. ergo in morbis peracutis, ſummè tenuiſſima victus ratio eſt vſurpanda, ratione morbi, cui debetur remediũ æquale: extrema autem extremis ſunt æqualia: virium tamen ratione, ſiquidem fuerint debiles, aliquid ſuggerendum eſſe, quo ſuſtententur. Cum vero morbus non eſt peracutus quia non habet extremos labores, licet exhibere pleniorem victum: at plenior victus cum latitudinem magnam habeat oportet metiri eius copiam ex quãtitate morbi ipſius: cum vt extremis extrema exiguis parua & mediis media conueniant remedia.

*CVM MORBI VIS EST maxima, tunc tenuiſsimo vtendum victu.* 8.1.

TEmpora morborũ quatuor ſunt, quæ menſurant eius motum impropriè dictum principium, incrementum, ſtatus, & declinatio: in principio & fine omnia mi-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tiora, in statu deteriora Aph. 30. lib. 2 Nam in principio natura aggreditur pugnam cum morbo pedetentim: tum quia cruda sunt omnia, cũ incipit coqui materia morbifica commouentur symptomata: cum enim pus fit dolores, & febres magis accenduntur, quam cum factum est ex Aph. 47. lib. 2. vt ostendat specifico exemplo genericam propositionem, in incremento augeri symptomata, crescunt autẽ illa ad statum vsque, in quo manent in eodem gradu, & summa in declinatione decrescunt, & tandem fatiscunt. Vis ergo maxima morbi est in statu, quare eo tempore præcipit Hip. tenuissima esse vtendum victus ratione: quod extremis extrema debeantur remedia ne natura studens, & affixa profligationi causæ morbificæ ab eo officio reuocetur ad alimenti coctionem, vnde imminuetur vis illa qua pugnat contra morbi violentiam. Ergo cum morbi vis est maxima, tunc tenuissimo victu est vtendum.

*SED EX ÆGROTO CONiecturam facere oportet, an is cum præscripto victu perstet ad morbi vsque vigorem; ánne prius deficiat imparque cum tali victu, succumbat, quam cedat morbus, & obtundatur. Aph. 9. 1.*

APhorismi supériores ad amissim obseruati periculum pariunt sæpè: vt enim summum ius summa dicitur iniuria inter iurisperitos. Ita inter medi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

cos seuera & rigida præceptorum medicinæ obseruatio periculosa est, quocirca hoc Aphor. corrigit superiorem victus rationem tenuem, memor. 4. & 5. Aph. in quibus præfert victum pleniorem tenui. Cautio ergo talis est, si quando in morbo exacte peracuto præscripserit victus rationem tenuissimam videndum num cum tali victu, ęger poterit superesse, aut viuere vsque ad morbi vigorem: ex quo colligere licet, omnem instituendæ diætę rationem, in qualitate, quantitate, numero sumendam ex prę notione futuri status, scilicet num absit longissimè an proximus sit, quod expressit Gal. cap. 3. lib. 1. de crisibus: generosi medici, inquit, atque arte Hippocratica digni officium est, futurum statum præcognoscere. Cum omnem victus rationem ad ipsum aspiciendo decernat, dignoscitur vero ex motu morbi, qui motus, aut celer est, aut tardus, celeritas eius cognoscitur symptomatis magnis cito natis, ex causa calida, vt bile: tarditas autem ex symptomatis tardè nascẽtibus & ex causa frigida, vt pituita & succo melancholico: de quibus in nostra methodo cap. 7. Verum non à morbi statu tantum: sed ex viribus sumenda est indicatio victus vt diximus, quæ cum debiles sint alimento pauco & sæpe repetito refocillandæ, vires autem sunt variis modis debiles, ab oppressione scilicet, & dissipatione. Tum alia animaduertenda est diuisio petita à causa debilitatis quæ prout varia est, diuersa victus ratio institui-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tur: vna illius causa censetur inanitio, vt alui profluuium, longa fames, fluxus sanguinis, ex quacunque parte oriatur, aut potest emanere à re infestante, vt à punctura & vellicatione orificij superioris stomachi facta ab acri humore, syncope, dolore, aut ab intemperie internæ partis principis, à qua calor naturalis diminuitur, à suffocatione vteri, vt in mulieribus, in virium debilitate ab oppressione, tenuis victus cõuenit, ab inanitione nocet. Oportet enim inanitas reficere paulatim, parum & sæpe: si res infestans causa extiterit debilitatis: Tum syncope, aut suffocatio vteri, cum dissipentur spiritus subito, & debilitentũr vires subito sunt reficiendæ ex Hipp. enim quæ subito attenuantur corpora, cito sunt reficienda, in debilitate ab intemperie nata, cum dissipationem illa intemperies pariat: reficienda est debilitas pedetentim: ne verò quicquam iudicatum remaneat sequenti. Aph. præfuit quo modo victus ratio sit præscribenda ratione status futuri.

*QVIBVS ITAQVE VIGOR est, hos statim tenuiter cibare, quibus autem postea vigor futurus est, ijs in ipso vigore, & paulo ante, cibus subtrahendus: antea verò plenius alendum, vt durare queat.* 10.1.

IN superiori Aph. admouet medicũ prudentem, vt videat num cum tenuissimo victu secundum doctrinam superiorum Aphorismorum præscripto possit durare,

vſque ad ſtatum morbi:an verò ſit periturus, ante quã ſtatus contingat,aliquis poſſet rogare, quo modo ſeſe debeat gerere prudens Medicus in perſcribendo victu, ratione ſubiti ſtatus:hoc Aphoriſ. reſpondet Hipp. quoniam ſtatus morbi mox futurus eſt, id eſt intra quinque aut ſeptem dies,ſtatim tenuiter cibare oportet ęgrum: illud autẽ cognoſcitur ex motu morbi, vt diximus ſuperiori commentario. probari verò poteſt hæc pars prior Aphoriſ. hoc modo: omnis morbus, qui intra paucos dies ad ſtatum eſt peruenturus peracutus dicitur, in omni verò tali victus ratio eſt præſcribenda tenuiſſima:ergo in quo morbo,mox futurus eſt ſtatus præſcribenda eſt victus ratio tenuiſſima,aſſumptio huius ratiocinationis probatur per antecedentes Aph. Quibus autem paulò tardius futurus eſt ſtatus, in ipſo ſtatu & paulo ante ſcilicet in poſtrema parte incrementi, ſubtrahendus eſt cibus: nam in ſtatu quieſcendum eſſe, paulo poſt ſcribetur: antea verò id eſt in principio morbi, & in prima parte incrementi, liberius alendum, vt æger durare poſſit, vſque ad morbi ſtatum: nam cum morbus ſit futurus longior, niſi liberaliter nutriemur ægrum in principio, periculum eſſet, ne deficeret ante aduentum ſtatus, vel cogeretur Medicus, quo vires debilitatas reficeret ſubminiſtrare cibos,cum minimè conuenit, id eſt, quando natura non eſt auocanda à pugna, quod temerarium fuerit iudicatum. Adde quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

melius est in principio plenius nutrire, quam parcius: ergo Aphorismus verus est.

*IN IPSIS TAMEN EXACERbationibus cibum adimere oportet: nam præbere noxium, & cum per circuitus redeunt morbi, In ipsis accessionibus est abstinendum.* II. I.

VT Aphorismus hic intelligatur animaduertẽdum est morbos alios esse continuos, alios intermittentes. Continui in suo motu, aut seruant æqualitatem, vt febris synochus, siue continens, aut inæqualitatem, vt continua, tertiana, quotidiana, & quartana. In continuis inæqualibus tempus inæqualitatis, & incrementi dicitur exacerbatio: quia morbus, vt febris exacerbatur, & exasperatur in morbis intermittentibus, vt in febre tertiana animaduertitur periodus, & paroxismus. Periodus est totum tempus, in quo febris à puncto primo & primario reuertitur ad idem punctum, vt fit in fabrica peripheriæ circuli: continet ergo Paroxismum, & intermissionem. Paroxismus verò suo ambitu, complectitur incrementum, & statum quare molestius periodi tempus, à quibusdam dicitur. Aduertendnm præterea morborum illa tempora, quatuor dicta, aut esse generalia totius historiæ morbi: aut peculiaria paroxismorum, prȩsertim in morbis, qui intermissione constant, omnis enim morbus intermittẽs constat principio, in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

cremento, statu & declinatione paroxismi peculiaris: his positis, quemadmodum in temporibus vniuersalibus totius morbi, in statu nihil dandum: sic in particularibus temporibus, vt exacerbatione, & in accessione nihil præbendum. Quia inquit Hippocrates, præbere noxium esset, quod scilicet natura reuocetur à pugna cum morbo, vt dictum fuit: & præterea, quod paroxismi, & accessiones longiores efficerentur in pernitiem ægri.

*MORBI VERO IPSI ET ANNI tempora, & periodorum, inter se proportionis obseruatio, siue ea quotidie, siue alternis, siue maiore interuallo fiant, paroxismos, & statum morborum indicabunt: sed & ex ijs, quæ postea apparẽt iudicia sumuntur, velut in pleuritide, sputum si statim initio appareat, breuem fore denunciat: si verò posterius conspiciatur longum: Quin etiam vrinæ, alui fæces, sudores. iudicatu faciles, aut difficiles, & breues, vel longos morbos fore cum superueniunt demonstrant.*

CVm superioribus Aphorismis scripsisset in statu morbi in paroxismis & accessionibus, nihil dandum esse, nunc methodum tradit, ex quibus, & per quę cognoscamus statum, paroxismum & accessionem. 1. ex morbis ipsis, nimirum eorum specie, sunt enim accessiones & paroxismi morborum præfiniti, vt tertiana simplex cum lõgissima est ex Aph. 59. lib. 4.

ſeptem circuitibus, ſiue periodis finitur, & tertio quoque die repetit, in ea ergo cito futurus eſt ſtatus. Quotidiana quotidie acceſſiones habet, & quia à pituita ortum ducit longa eſſe ſolet. Phrenitis ſua natura & ſpecie ipſa eſt morbus peracutus, quibus poteſt addi argumentum à cauſa deſumptum: Nam bilioſi morbi cito ad ſtatũ perueniunt, pituitoſi, & melancholici tardè, 2. ex anni tempore, & conſtitutione: Eſt autem anni tempus pars illius, temperamento à reliquis diſtincta. Exemplum ſumitur ex Aph. 25. lib. 3. cum inquit, æſtiuæ quartanæ plerunque breues, Autumnales longè, præſertim ſi hyemen attigerint. 3. ex circuitibus & periodis, qui reuertuntur, aut quotidie, vt in febre quotidiana, tertiana duplici, & quartana triplici, & in epilepſia quadam peculiari, aliiſque morbis, qui quotidie ægros affligunt, aut alternis diebus, vel alio modo. 4. ex ſymptomatis epiphenomenis ſupernaſcentibus, quæ ortum morbi ſequuntur, nec ſimul naſcuntur: quod explicat exemplo pleuritidis, in qua ſputum eſt epigenomenon: vt ita ſputum cito poſt natum morbum, id eſt, intra duos, tres, vel quatuor dies appareat, breuem illam oſtendit, quod natura robuſta cito, noxiam minimam conetur expellere, vnde breuitas morbi ſperanda, ex quo colligimus cito futurum ſtatum: Si verò multo poſt principium appareat longam ſignificat pleuritidem: verum in libris de ratione victus in morbis acutis ſcribit

Hipp.

Hipp. in pectoralibus morbis augendum alimentum pro ratione vacuationis. Ergo in quibus sputũ statim apparet post ortum morbum, erit plenior cibus suggerendus. Contrariũ tamen hic videtur sentire Hipp. nam quia breui futurum statum conijcit ex cita expectoratione, parum dandum esse concludit: Quia status mox futurus est, respõde, ratione status mox futuri est præscribenda victus ratio tenuissima, sed quia euacuatio sputi debilitat vires, ratione infirmitatis virium, paulo pleniore est vtendum victus ratione, in quantitate, & numero, vt verò capitur iudicium futuri status ab sputis: ita & ab vrinis, deiectionibus alui, & sudoris cum superueniunt in morbis: nam si illa extrema coctionis fuerint assecuta significant breui futurum statum, si vero cruda extiterint, lõgè abesse. Coctiones enim ex Hipp. in epidemiis celeritatem, & securitatẽ criseos ostendunt. Quare ex his omnibus possumus dignoscere paroxismos, accessiones morborũ & statum futurum breui, aut tardè secundum quæ nos præscribemus diætam tenuem aut longam.

*Senes facilè ieiunium ferunt, secundum hos, qui constantem ætatem agunt, minus adolescentes, minimè omnium pueri: atque inter eos maximè qui acriores sunt, & viuidiore ingenio, præditi.* 13. 1.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ALius locus eſt indicans nempe ætas, à qua indicatio ſumitur diætæ præſcribendæ, ætas vero eſt animantium vitæ pars, corporis temperamentum immutans, per eam vim caloris innati, quæ viget in humido radicali: dum enim calor agit in humidum radicale, mutat paulatim exſiccando, & ſeſe per accidens pedetentim deſtruendo: vnde ætatum diuerſitas de hac legendum eſt 2. cap. lib. 1. de ſanit. tuenda apud Gal. Ætas diuiditur in pueritiam, adoleſcentiam, conſtantem ætatem, & ſenectutem, quę duplex eſt, cruda & decrepita. Senes inquit Hip. crudi nimirum à 50. anno ad 60. facilè patiuntur inædiam, propter debilitatem caloris innati mediocrem, paucam diſſipationem triplicis ſubſtantiæ, ob habitus denſitatem: & exiguum ſuctionis ſenſum, imminuto ſenſu, in orificio vētriculi ſuperiore, ob pituitæ copiam quæ illic congeritur in ea ætate vnde deducit Hipp. Si quando ſenes crudi & robuſti laborent morbo, non egere diæta æque liberali, atque in illis ætatibus, quæ ſenectutem antecedunt, decrepiti vero non facile, ieiunium ferunt, quia cum ſint extreme debiles, pauco egent alimento, ſæpiuſque repetito, ne deficiant: adoleſcentes autem, non patiuntur inædiam facilè, ob contrarias cauſas, nimirum ob caloris innati vigorem, multam diſſipationem triplicis ſubſtantiæ, & exquiſitum ſuctionis ſenſum. Quare ſi quando morbo afficiantur egent copia maiori alimentorum conſtan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tes ætate, medium locum tenent inter senes crudos, & adolescentes: quocirca, morbo expressi, mediocri egent diæta, minimè omnium pueri inediam patiuntur propter maiorem calorem innatum, dissipationem, & sensum suctionis: ita vt totius ætatis hominis. 4 gradus constituantur. 1. est senium crudorum. 2. constantium ętate 3. adolescentium 4. puerorum. Atque vt inter senes, quidam sunt crudi, & robusti, quidam decrepiti & debiles: ita inter pueros quidam sunt viuido ingenio, & acriore præditi, quidā hebetiore, promptitudo, illa à calore innato tanquā instrumento nascitur, in quo verò magis viget calor, in eo liberaliore dieta est vtendum. Ergo pueris acriore ingenio præditis dum morbo afficiuntur, liberalior dięta est præscribenda.

*Quæ crescunt corpora, plurimum habent calidi innati: itaque copioso cum alimento indigeant, ipsis abundè suppeditare oportet. Alioquin corpus consumitur. Senibus verò parum caloris inest, propterea paucis succendiculis indigent. Exiguus namque ignis fomitis multitudine extinguitur: ob eandem causam nec senibus febres perinde acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus.* 14. 1.

HIc Aphorismus continet probationem superioris: ieiunium enim fertur facile, aut difficile potissimū propter copiam caloris innati, aut eius inopiam. Cæterum crescunt corpora communi me-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

dicorum edicto ad 25. annum, eo enim vsque ossa quæ sunt reliquarum partiū fundamenta crescunt, sequacia propter humiditatem, cum autem peruentum est ad 25. annum præ siccitate amplius extendi nequeunt, quare vsque illud tempus plurimū caloris naturalis obtinent homines, quia plurimum humiditatis, quo enim plus humidi primigenij in corpore existit, maior inest copia caloris: humidum námque est pabulum caloris: quo autem calor est maior pluri egent corpora alimento: ergo qui crescunt, cum plurimum caloris innati habeant, egent copioso alimento. Neque tamen id probauit Hipp. per causam: sed à consequenti incōmodo. Ita scilicet quando calori non obiicitur alimentum, calor agit in partes solidas, cásque consumit, ergo nisi iis qui crescunt abundè suppeditetur alimentum corpus eorum cōsumitur, quod est maximè noxium. Contra verò senes paucum habent calorem innatum: quare exiguo egent alimento, probaturque similiter ab incommodo: Quia si multum exhiberetur alimentum: suffocaretur calor innatus, non aliter quam exiguus ignis extinguitur multitudine liquorū: Quòd autem exiguum senes possideant calorem natiuū probat Hipp. ab effectu, quia febribus acutis perinde, ac iuuenes non diuexantur. At febris est calor præter naturam, qui contrarius censetur naturali, quare licet paucus sit calor naturalis in senibus nihilominus poterunt laborare febribus acutis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

Negamus, quia febris Hippocrati, calor eſt naturalis in ignem conuerſus: quo ergo calor naturalis eſt vehementior: eò febres poſſunt eſſe vehementiores ratione caloris: licet materia bilioſa ſit cauſa aliquando magnitudinis febris, cõtingit nõnunquam in ſenibus: quare Hippocrates in Aphoriſmis, inquit, ſenes raro acuta febre laborãt. & ſi quando ea prehenduntur periclitantur. quod eorum ætati minus ſit congener.

*Ventres hyeme ac vere calidiſſimi ſunt, ſomni longiſſimi, quocirca his temporibus alimenta copioſiora dari debent: ſiquidem plus natiui caloris habent, pluribus igitur alimentis egent, argumento ſunt ætates & athletæ.* 18. 1.

DVcit indicationem diætæ inſtituendæ, à tempore anni, prout in illo viget calor naturalis, aut debilis eſt, explicans tantum conſtitutionem corporis humani, in duabus tempeſtatibus, ex quibus reliquæ facile intelligi poſſunt. Cõtrariorum namque contraria ſunt conſequentia. Propoſitio ergo talis conſtituatur. Hyeme verè victus ratio plenior eſt præſcribenda ægrotis: hoc pacto probandum, quoniam maior eſt copia caloris in corpore humano, ſomni ſunt longiores, plura ſunt ergo danda alimenta vt probatum eſt, atqui hyeme & vere abundant, multa calore corpora humana, & ſomni ſunt longiores, quàm in cæteris tempeſtatibus. Ergo in illis plura ſunt elargienda



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

alimenta, frigus namque extremum tunc temporis cogit corpora: & per antiperistasin calidora efficit, & propter copiam anatimiaseωs, siue euaporationis laudabilis, somni nascuntur longiores, in somno verò perfectior fit coctio in ventriculis. Ergo hyeme, & verè, quia corpora sunt calidiora partibus internis, quas vocat ventres in quibus sunt coctiones, nempe ventriculo, hepate, & reliquis, plura sunt subministranda alimenta, probat verò maiorem argumento puerorum adolescentum, & athletarum: in quibus quia maximè abundat calor ratio victus liberalior est concedenda. Cæterum à regione eadem indicatio sumi potest: Septentrionales ergo nutriẽdi liberalius, vnde sequitur æstate propter debilitatem caloris innati à dissipatione natam, propter æstum, pauciora alimenta exhibenda in temporibus mediis modo medio: quocirca scribit 18. Aph. huius libri cibos æstate, & autumno difficile ferunt, hyeme facillimè, vere minus, vt distinguat, quod confusè fuerat probatum de hyeme & vere in superiori Aph. legitur etiam Aphorismus 59. lib. 7. qui continet indicationem ductam ab habitu corporis, inquit enim, corporibus humida carne præditis præferenda fames est. Nam fames siccat corpora, iis ergo pauca in morbis danda erunt alimenta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Impura corpora quanto plus nutries eo magis lædes. 9.1.*

HIc Aph 9. lib 2. pertinet ad quantitatem alimentorum præſcribendam: quare eſt hoc loco collocandus: intelligi namque poteſt, & de corporibus morbo affectis, & de cōualeſcentibus. Cum enim illis corporibus exhibetur cibus magna quantitate à prauis humoribus in corpore contentis corrumpitur, vnde magis læduntur ægroti, quare illis parum alimentum elargiendum eſt.

*Vbi fauces ægrotant, aut puſtularum eruptiones exoriuntur in corpore, excrementa ſpectare oportet, Quippe ſi bilioſa fuerint corpus vna ægrotat. Sin ſanorum excrementis ſimilia, tuto corpus alere poteris. 15. 2.*

QVo modo cognoſcantur impura corpora hoc Aphoriſmo explicat Hipp. peculiari exemplo. Quo more ſolito vniuerſalem ſubintelligit propoſitionem nimirum impuritatem corporis per excermenta dignoſci praua: ſi quis itaque ex faucium morbo, aut puſtularum eruptione in toto corpore vellet iudicare de impuritate corporis erraret. Nam licet illa poſſint impuritatem corporis denotare, quando ex illa originem trahunt: poteſt nihilominus fieri, vt quæ pauca erat humorum corruptio in corpore tota expellatur in ſuper-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ficiem corporis: quare ne erremus in eo iudicio faciendo respicienda sunt excrementa, quæ si biliosa extiterint corpus vna ægrotat: sin sanorum excrementis similia, purum est corpus. Túncque ob inde nutriri potest tale corpus, est ergo superior propositio vera.

*Victus humidus febricitantibus omnibus tum pueris maximè, atque alijs qui tali victu vti consuevere vtilis. 16. 1.*

EXemplo peculiari febrientium, & puerorum docet, generalem doctrinam; vt nimirum qualitas ciborum sit contraria causæ morbificæ: verum cur humidum præscribit victum, cum febris intemperies sit calida: præsertim quia omnibus perspectum sit frigidum febricitantibus dare victum, humidum non item, quod multæ febres sanguineæ dicantur, proinde humidæ censeantur. Tamen quia calor siccat, & sit facilius repleri potu quam cibo ex Aphoris. ij. lib. 2. necessarium est ad siccitatis contemperationem, & faciliorem nutritionem humidum exhibere cibum, tum quia siccitas, difficilius emendatur, quam caliditas, ex Gal. in arte par. Parum. námque humiditas actiua, quare merito mentionem fecit humidi victus, non frigidi. Conuenit etiam & illa victus ratio pueris ob similitudinem naturæ, & incrementi materiam, quæ in humido asistit, tum iis, qui eo vti consueuerunt, vt indicatio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ſumatur, à conſuetudine, cui parendum Medico ſcribit Hipp. ſequenti Aph. eſt námque conſuetudo altera natura, quæ conſeruanda eſt ſimilibus: quare pueris etiam ægrotis & conſuetis humida debent alimenta exhiberi.

*Quos etiam ſemel, aut bis, & plus minúſve, & minutatim, ac particulatim alere conueniat, ſpectandum; dandum verò aliquid conſuetudini, regioni, & ætati. 17.1.*

HVc vſque Hipp. egit de quantitate, & qualitate ſeruanda, in exhibendis alimẽtis. ſupereſt, vt de modo, quo præberi debent cibi diſſeramus: conſiſtit verò ille modus in numero, tempore, & quantitate exhibitionum. Hipp. admonet Medicum, vt aduertat modum illum, ſed modi normam nõ præſcribit. Galenus & reliqui Medici, qui commentarios addiderunt in hunc Aph. modi huius indicationem ſumendam ſcribunt: præſertim à viribus ægrotantium, & à cauſa morbifica, & inter omnes medicos Montanus meo iudicio luculenter huius rei doctrinam expreſſit, hoc modo: cum penuria humorum eſt in corp. ſine vllo morbo, vt in his, qui fame ſunt exhauſti: cum vires ſunt debiles, parum, & ſæpe alimentum porrigendum, parum quidem ne ſuffocentur vires, ſæpè verò, vt corpus reficiatur. Si verò ſit penuria humorum, cum affectu præter naturam duæ ſimul iunguntur debilitates. Nimi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

rum vna ab indigentia, altera ab affectu contra naturam: tunc dandum sæpius & parum, sin autem fuerit excessus humorum distinguendum est, aut enim excedunt humores boni, aut praui: siquidem laudabiles extiterunt effectus ille plethora appellatur. In hac parum & raro exhibebimus alimentum, ne scilicet plethora augeatur accrescatque metu suffocationis, aut ruptionis alicuius vasis. Ex Gal. Comment. In Aph.3. lib.1 in copia prauorum humorum victu tenui opus est. Nam ex Aph. 9. lib. 2. impura corpora, quanto magis nutries, eo magis lædes. Parum ergo dabimus, ne cacochimiam augeamus, sæpe tamen, ne debiles vires extinguãtur. Nã cum cacochimia virium robur numquam coniungitur. Prauorum autem humorum excessus varius est, illi namque humores aut crudi sunt, & pituitosi, aut adusti: crudi, aut coqui possunt, & verti in alimentum, aut nõ possunt: siquidem verti possunt, exiguo est vtendum alimento: Parum ergo & raro exhibendum. Nam vt scribit Gal. lib. 4. de sanit. tuend. cum humores crudi in corpore fuerũt multi: non multum nutrire oportet. Si vero humores crudi praui sint, ita vt extinguant calorem sæpe, & parum, quod adsit penuria bonorum humorum, & prauorum copia. Quare sæpe dandum: parum autem ne augeatur cacochimia: si autem fuerint adusti: illis quoque sæpè & parum dabimus, nam debilis est calor naturalis, & adest penuria laudabilium hu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

morum: cætera fuerunt in superioribus explicata.

*Quibus per status circuitus, accessiones fiunt, nihil dare nec cogere, sed adimere oportet adiectioni ante indicationes.* 19.1.

HIc Aphorismus referendus est ad victus rationem in quantitate, & anteponi Aphorismo superiori. Auega existimat eundem prorsus esse cum 10. Aph. in quo scribitur nihil dandum in accessionibus. Dominus Duretus comment. in hunc Aph. distinguit accessiones in particulares & generales, illas in febribus intermittentibus vult obseruari has in continuis. Atque hunc Aphorismum contendit intelligi de vniuersalibus accessionibus, scilicet de diebus criticis: vnde sequeretur in diebus decretoriis nihil esse dadum, quod absurdum esset, & maximè noxium ægris: Illi namque, qui 20. die sunt euasuri nihil caperent 3.5.7.9.11.14.& 17. In quibus vires extenuarentur nimium. In eam venit opinionem meo iudicio, ex eo quod præcipiat Hip. adimendum esse de cibo, ante Indicationem, quod parum ad rem facit, nam in febribus tam intermittentibus, quam continuis paulo ante crisim demere de cibis oportet. Quare hic Aph. reducendus ad decimum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Paulo deterior sed suauior cibus meliori quidem, sed ingrato præferendus.38.2.*

Gratificandum ægris suadet Hip.6.lib. Epid.gratificari verò est aliquid concedere illis quod palato arrideat, etiamsi videatur contrarium præceptis, & institutis artis medicæ dũmodo facilè possit reparari damnũ,quod sequitur, ex vsu illius cibi, vt si vinũ merũ haustũ fuerit,potu aquæ frigidæ facilè potest contẽperari:sed valdè non sit prauũ illud alimentũ oportet: Nam quæ modum in prauitate excedunt reiici debent, vt fungi,tubera, cepæ crudæ & alia eiusmodi, & morbus extiterit longus. In acutis námq; periculosum est ægri votis in illis conquiescere : in longis non item, cùm enim longo morbo correpti, ex superioribus, egeant liberaliori victus ratione.Illis concedenda multa pręter rationẽ bene institutæ diætæ,quo appetitus eorũ cõmoueatur sumátque liberalius cibos. Itaque prudens Medicus, in summa inappetentia, debet ægros rogare, quid comedere appetant : hoc modo enim fit, vt per genera ciborum imaginatione percurrendo, occurrat aliquod ciborum genus gratum,licet minus cõueniens,quod illis concedere oportet quantitate conuenienti Qualitas enim non nocet:sed quantitas, vt communi fertur sermone:nam qualitas sequitur,quantitatis mollem.Ita vt in magna mole sit plurimum qualitatis.Est etiam ha-

benda ratio causæ commouentis appetitum: Nam si extiterint humores praui in ventriculo stabulantes, vt contingit in pica mulierum, illis non est in cibo deprauato eligendo assentiendum: si verò ex consuetudine & natura peculiari indulgendum, ab assuetis namque non fit passio, aut perexigua saltem: si quando verò occurrat, vt æger pertinaciter velit aliquid comedere, quod valde noxium sit, nec possit monitis medici, ab ea opinione diuelli, medici prudentiæ est modum excogitare, quo illi percupitum cibum offerẽdo æger cibum abhorreat: fit autẽ hoc nimia quantitate affatim exhibendo, aut modo indecenti, quo potius cibus nauseam quam appetitũ moueat: demonstratio verò huius propositionis est: ventriculus exactius concoquit illa alimenta, quæ auidius complectitur: nam coctio ventriculi perfectior fit per contactum. Atqui suauiores cibos arctius complectitur. Ergo melius coquit: Quare licet qualitate sint deteriores, gratia, & suauitate vtiliores habentur, hoc autem ex vi imaginationis pendet, quam magnam vim habere in corporibus nostris a philosophis comprobatum est.

*Facilius est impleri potu, quam cibo.* 11. 2.

POtus nomine intelligũtur ea alimẽta, quæ liquida sunt, quale est vinum, iuscula distillata expressa, & alia eiusdem generis: per cibos autem alimenta solida:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

volunt quidam hunc Aphorifmũ de conualefcentibus intelligi, non de ægris, falſo tamen: nam ægroti egent refectione illa, quæ faciliùs perficitur, vt & cõualeſcentes, propter virium debilitatem: quare liquida alimẽta illis etiam magis cõuenient, quam ſolida: neque tantum propter eam rationem: ſed quia cibos ſolidos deglutire non poſſunt, conualeſcentes tamen poſſunt, hi namque cibi maſticandi, maſticatio verò difficilis quando inappetentia adeſt & palati tum linguæ deprauatus guſtus: deglutitio itẽ eſt ferè impoſſibilis, cum ſiccus ſit Oeſophagus, & eius muſculi facultate attractrice ferè priuatus: ſiccitas autẽ illa, & attractricis imbecillitas reluctãtur deglutitioni, liquida autẽ ſuapte natura ſine attractione vorantur etenim per ſe fluunt, & pondere ſuo in Oeſophagum decidunt, poſtquam in ventriculum alimenta liquida delapſa ſunt minori negotio conficiuntur, minus enim reſiſtunt calori agenti: diſtribuuntur facilè quia liquida, & in noſtram ſubſtantiam conuertuntur, quia melius apponuntur, aglutinantur, & adhærent. Ergo verus eſt Aph. facilius eſſe repleri potu quam cibo, quare medicus debet ægrotis præſertim inappetentia laborantibus, præbere potius cibos liquidos quam craſſos: Neque conquerantur ignaræ mulieres, quę corrupto imaginationis iudicio: putãt ęgros fame perituros, qui ſolis alũtur iuſculis, cũ in illis tota inſit carnis ſubſtantia: faciliuſq; ſit liquido refici quã ſolido.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Eorum quæ confertim & celeriter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones. 18. 2.*

COnſectarius eſt hic Aph. ſuperioris, celeriter nutriunt, quæ celeriter, & facilè mutantur in ſubſtantiam noſtrã, qualia ſunt liquidæ & tenuis ſubſtantiæ alimenta vt iuſcula potiones, celerius & facilius nutriunt quam cibi ſolidi: atqui quæ confertim & celeriter nutriunt, celeres habent excretiones, & diſſipationes. ergo ſi quis nutritur liquidis, ſiue potu, cum eorum fiat diſſipatio celeriter, debemus ſæpius illi porrigere alimenta, quam ſi cibo ſolido nutriretur, pertinet ergo hic Aph. ad modum nutritionis.

*Quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, lente reficere oportet, quæ verò breui breuiter. 7. 2.*

HIc Aph. ſpectat propriè ad reſtaurationem conualeſcentium, morbi violentia extenuata ſunt corpora, in conualeſcentibus de perditione triplicis ſubſtantiæ ſpiritalis, humoralis, & ſolidæ. Quocirca debilia reddita ſunt corpora: cum robur virium in illis conſiſtat: ratione vero conſiſtentiæ earũ ſubſtantiarũ: aliæ aliis citius, aut tardius diſſipantur. Spiritus námque tenuiores celerius quã humores: & hi quàm ſolidæ partes. quo ergo longior extiterit morbus: eo vires magis ſunt debilitatæ, in virium autem proſtratione ſenſim eſt nu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

triendum nam vires debiles, vt in superioribus demonstratum est, non ferunt magnam alimentorum copiam, sensim ergo exhibere, & reficere oportet corpora, quæ longo tempore extenuata sunt, quæ verò breui, cùm facta sit aliqua dissipatio tātum spirituum & humorum, repētè, partes enim solidæ adhuc robustæ, possunt satis largam alimenti copiam conuertere in substantiam: vnde patet veritas Aphorismi.

*Quibus noctu bibendi est auiditas, ijs admodum sitientibus obdormiscere, bono est.* 27.5.

SItis nocturna aut leuis est, aut magna, in leui somnus humectando remedio est: In magna bibendum parce: & superdormiendum lege plura in Comment. Holerij.

*Si à morbo cibum assumens quispiam vires non recipiat copiosiore alimento corpus onerari indicat: si verò modicè epulanti idem eueniat, vacuatione indigere sciendum est.* 8.2.

HIc Aphorismus continet signum largioris adhibendi alimenti in cōualescentibus: nam cum partes corporis conualescentium exinanitæ attrahant cibos, & conuertant in suam substantiam, oportet eas refici: Si ergo non reficiantur, necessarium est conualescentes plura capere alimenta, quā possint concoquere, & conuertere in substantiā quare verus est Aphoris.

Vbi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Vbi fames, minimè laborare oportet. 16.2.*

EXemplo familiari famis, docet in genere in virium debilitate nihil esse præstandum quod laborem adferat, vt in conualescentibus non est adhibendum alimentum magna copia, debilibus non est proprium medicamentum vehemens: neque sanguis copiosè detrahendus.

*Famem vini meracioris potio tollit. 21.2.*

SI quis à morbo liberatus, in famem inciderit caninam ob victum depr auatum, meri potione illa fames solu itur, siquidem illa fames cõtigerit à pituita acida & crassa: vinum enim oppugnat causam famis & naturæ oppitulatur.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# DE EVACVATIONE, ET PRIMO DE SANguinis missione.

*Qui à plenitudine morbi fiunt euacuatione curantur: & qui ab inanitione proficiscuntur, sanantur plenitudine, cæterarúmque contraria sunt remedia. 22. 2.*



IXIMVS de ratione victus præscribẽda in morbis acutis, longis, & in conualescentibus, in qua consistit potior pars curationis. Nunc duas reliquas aggredimur, quæ in euacuando præsertim versantur: Sunt vero præcipuè sanguinis missio, & purgatio, in quibus obseruantur theorema vniuersale curationis, contrariorum contraria sunt remedia: nomine contrariorum intelligimus omnia illa, quæ quolibet modo causam morbificam oppugnant, euacuando, alterando, aut alio quouis pacto: more autem consueto Hipp. sub specifica propositione generalem iam explicatã est complexus. Plenitudo verò hoc loco intelligitur humorum in corpore nimia quantitas siue copia, quæ duplex est pro diuersa humorum plenitudine, in generantium dispositione, siquidem sanguis solus, aut vna

cum reliquis humoribus multus ſit, plenitudinem parit, quæ plethora appellatur. Si humores ſint deprauati cacochymiam. A plethora & cacochimia ſumuntur indicationes euacuationis, plethora quidem ſanguinis miſſionem cum virium robore indicat. Cacochimia purgationem. Verum quia ſanguinis miſſio vt plurimum eſt præferenda purgationi: de ſanguinis miſſione primo eſt dicendum. Cęterum per morbos à repletione, intelligit, aut præſentes, aut futuros, vt in ſequenti Aphoriſmo patebit. Morbi autem ab inanitione geniti curantur repletione per alimenta boni ſucci.

*Athletarum plenior corporis habitus, ſi ad ſummum ſit plenitudinis gradum perductus, lubricus eſt: neque enim eodem permanere, aut conſiſtere poteſt: cum verò non conſiſtat, nec iam poßit in melius proficere, ſupereſt, vt recidat in deterius. Quamobrem illa plenior corporis habitudo haud cunctanter ſoluenda eſt, quo corpus nouæ nutricationis initium capiat. Non tamen vſque eo vacuando pergi velim, vt vaſa in ſe penitus conſidant: Hoc enim tutum non eſt: Sed quantum natura feret, eo vſque progredi oportet. Sic & extremæ vacuationes periculoſæ: contráque repletiones extremæ ſi fuerint periculoſæ ſimiliter. 3 1.*

HIc Aph. pertinet ad doctrinam curatricem, & ad eam partem quæ de ſanguinis miſſione agit, probatur autem per ſuperiorem. omnis morbus præſens, aut



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

futurus, qui contingit à repletione euacuatione curatur. Atqui Athletarum plenior corporis habitus morbum futurum à repletione significat. Ergo euacuatione curandus: athletæ verò illi dicuntur, qui corpus exercent motibus violentioribus, lucta, pugillatu, cursu, saltu, disco, & reliquis. Nomen habitus dicitur multis modis. Sumitur namque pro qualitate firmiter fixa, apud Aristot. in cathegoria qualitatis, aut pro humani corporis cõformatione, vt in doctrina Hippocratis. bonus itaque habitus, quem ἑξίαν appellant medici, bona erit partium conformatio, in Atletis quidem consistit, in magna carnis mole, & excessu massæ sanguineæ: Quod ex Gal. illorum studium esset totum in curanda cute, exercitio plurimo & somno longo: bonus autem habitus duobus dicitur modis, aut simpliciter qualis est in bene constituta sanitate, aut comparate, vt athletarum. Quæ vt scribit Plato 3. de Repub. ad sanitatem parum tuta est: his positis inquit Hipp. si plenior habitus athletarum sit ad summum plenitudinis gradum perductus, lubricus est: Probat lubricum esse, & facilè labilẽ, in peius, quia, aut permanebit talis, aut mutabitur, in melius permanere nõ potest. Nã vt scribit Gal. illis imminet periculum ruptionis alicuius vasis in pectore à distinctione, propter repletionem: Quæ enim nimis replentur: & pistenduntur ruptioni sunt obnoxia, aut suffocationi caloris propter nimiam hu-
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

morum copiam: non poteſt autem in meliorem ſtatum mutari cum peruenerint ad ſummum plenitudinis gradũ. Tertium ergo ſupereſt, vt decidat in deterius, nimirum in eas calamitates, quas diximus: ſequitur ergo indicatione ſumpta à plenitudine ſumma, officium medici eſſe imminuere illum habitum euacuatione, per Aphoriſmum ſuperiorem: Quare ſanguis eſt detrahendus: Euacuatum enim corpus liberabitur, enarratis periculis, & nouæ nutricationis principium capiet. Verum quia a medicis ſcribitur remedium debere eſſe æquale cauſæ morbificæ. Hipp. admonet Medicum, inquiens, ne tamen vſque eo euacuando pergi velint, vt vaſa in ſe penitus concidant hoc enim tutum non eſt. Sequitur enim inde ex Gal. in libris meth. medendi decoloratio, à priuatione ſanguinis, & ſpirituum, hydropes refrigerato hepate, ab iiſdem cauſis, Apoplexia, à refrigerato cerebro, macies, alimenti penuria, præſcribit itaque Hip. vnde duci debeat indicatio, quantitatis detractionis, nimirum à natura & viribus corporis, in magna namque copia ſanguinis etiam multum detrahi debet, dummodo vires ferant, uires autem cognoſcuntur, ex actionum naturalium, vitalium, & animalium robore, aut imbecillitate. Hoc loco quæritur, vtrum ſit ducendus ſanguis vſque ad animi deliquium: præſertim cum Hipp. Aph. 23. lib. 1. ſcribat euacuandum, vſque ad animi deliquium: ſi ægrotus pat eſſe poſſit: videtur repugnan-

tia contineri in hac sententia, nam par esse, siue ferre posse est, vires esse satis fortes, delinquere vero animo est debilitatis extremus gradus. quidam interpretantur ad ad animi vsque deliquium Id est quousque percipiat medicus pulsum tangendo vires ita imminui, vt si vlterius progrediatur euacuando, sunt defecturæ, illudque vocant ad animi vsque deliquium exclusiuè, non esse autem animi defectum terminũ siue quantitatis sanguinis detrahẽdi iustam normam probant multi, ex eo quod aliqui ita sunt animosi, vt non antea deficiant, quam totus penè sanguis fuerit detractus, in quibus defectus animi esset mors. Quidam etiam reperiuntur, qui vel ad paucam sanguinis quantitatem detractam deficiant. Quare interpretatio iam dicta probanda. Probat autem non esse tutum nimium vacuare quia extremæ vacuationes sunt periculosæ vt extremæ repletiones. Quòd vt scribit Aph.51.lib.2. Omne nimium naturæ inimicum. Natura namque conseruatur similibus, quæ cum sunt temperata, & commoderata excedenti offenditur. Ergo omnis euacuatio excedens offendit, moderata secundum vires, iuuat.

*Semel multum, & repentè, vel vacuare, vel replere, aut calefacere, aut refrigerare, aut alio quouis modo corpus mouere, periculosum. Omne siquidem nimium naturæ inimicum est. Quod verò paulatim fit, tutũ, cum alias tum maximè vbi ab vno ad aliud faciẽda est mutatio. 51. 2.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

HIc Aph. intelligi debet de omni euacuatione, vel repletione: quę modum excedit. Talis autem est quæ naturæ noxia existit nimirum, quod omne nimium & excedens sit naturæ inimicum. Quod natura gaudeat moderatis, Quod vero paulatim sit tutum: Idcirco melius est incrementum numeri, quam quantitatis: Quare medici in magnis morbis solent paulatim post præparationes purgare, repetito cathartico Illud autem faciendum præsertim quando opus est mutatione è contrario in contrarium: nam vt subita mutatio periculosa esse solet, ita quæ fit paulatim tuta, de qua vide quæ scripsimus, de victus ratione cap. 2. in nostra methodo.

*Fluxiones, quæ ex dorso ad cubitum descendunt venæ sectio soluit. 22. 6.*

IN sanguine mittendo locus, ex quo duci debet designandus. Hip. hoc Aph. locum illum non ostendit: Sed authores, qui explicarunt Aphorismum, licet non esset opus ea explicatione: cum Hipp. Aph. 68. lib. 5. partē ex qua ducere oportet sanguinē denotet. Inquit enim parte posteriore capitis laborante in fronte recta excurrens vena incisa prodest: ac si vellet pronũtiare Hipp. dum materia è parte in partem defluit per contrariam esse euacuandam: vocatur autem illa sanguinis missio, reuulsio. In qua non tantum seruanda est oppositio partis: sed rectitudo, & vasorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

communicatio: Oppositio enim facit, vt ad longinquam partẽ trahatur materia morbifica, quo autem longius abest, eo minus lædit: Rectitudo verò, vt celerius educatur quia recta linea est breuissima, communicatio autem vasorum præstat, vt euacuari possit. Idem potest confirmari aliis Aph. nempe 11. lib. 6. melancholicis & nephriticis hæmorrhoides superuenientes bonæ sunt, hæmorrhoides namque fluentes purgãt materiã melãcholici morbi & nephritis: Quare Medicus imitator naturæ, in illis morbis aperiet venas inferiores, saphenam & malleoli: item 21. lib. 6. Insanis si varices, vel hæmorrdoides superuenerint insaniæ fit solutio: quæ omnia pertinent ad reuulsionẽ. Nam cum insania fiat raptis ad cerebrum calidis siccis & acrioribus humoribus, secta vena in partibus inferioribus, ad naturæ imitationem morbi curatio sequitur. Quare hi Aph. sub propositionibus specificis continent exempla reuulsionis, & prognostica morborum descriptorum.

*Parte capitis posteriore laboranti in frontem recta excurrens vena incisa prodest. 8. lib. 5.*

VNde patet per cõtrariam partem esse euacuandum, dum materia è parte in partem prolabitur, vocatur autem illa sanguinis detractio, reuulsio: in qua non tantum seruanda est oppositio partis: sed rectitudo, & vasorum communicatio: oppositio enim facit, vt ad longinquam

quam partem trahatur materia morbifica quò autem longius abeſt eo minimè lædit rectitudo, vt celerius educatur, quia recta linea eſt breuiſſima: communicatio autem vaſorum præſtat vt euacuari poſſit materia: idem poteſt confirmari aliis Aphoriſ.

*Melancholicis, & nephriticis, hæmorrhoides ſupervenientes, bono ſunt. 11. 6.*

HÆmorrhoides námque fluẽtes, purgant materiam melancholici morbi, & nephritici: quare Medicus in his morbis imitator naturæ aperiet venas inferiores, ſaphenam, & maleoli.

*Inſanis ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperveniant, inſaniæ ſolutio. 21. 6.*

QVæ omnia pertinẽt ad reuulſionem: nã cum inſania fiat raptis ad cerebrum calidis, ſiccis, & acrioribus humoribus, ſecta vena in partibus inferioribus, ad naturæ imitationem morbi curatio ſequitur.

*Difficultatem vrinæ phlebotomia ſoluit: ſecare verò interiores conuenit. 36. 6.*

PErtinet hic Aphoriſmus ad reuulſionem, iuuat ſiquidem euacuatio facta per partem proximam, quæ communitatem habet vaſorum, cum parte affecta, inquit ergo Hipp. in peculiari exemplo ſi



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

difficultas vrinæ ſit nata ab inflammatione veſicæ, Phlebotomia eam ſoluit: ſiquidem venæ ſecentur interiores tibiarum, ad educendam materiam inflammationis per partem proximam vaſis communicantem cum parte affecta, vt ex anatome patet: Verum ſi adſit magna Plethora in toto corpore, vtiliſſimum eſt primo ſecare venam baſilicam dextri brachij, per reuulſionem, deinde venam ſaphenam, aut malleoli interni per deriuationem.

*Mulieri ſanguinem vomenti menſtruis erumpentibus, ſolutio fit. 32.5.*

AD reuulſionem pertinet hic Aphoriſmus.

*Si fluxum muliebrem ſiſtere cupias, cucurbitulam quam maximam ſub mammis adhibe.*

Eodem ſpectat hic Aph. 50.5.

*Quibus venæ ſectio, aut purgatio prodeſt, his verè ſecanda vena eſt. 47.6.*

TEmpus deſignatur ſanguinis miſſionis, ad morborum præcautionem. ſolent enim multi reuerſiuis & anniuerſariis morbis affligi æſtate præſertim, quibus ad præcautionem detrahendus eſt ſanguis aut catharticum præbendum: Quo autem tempore id debeat fieri, explicat hoc Aph. quibus inquit ſanguinis miſſio, aut medicamentum purgans confert ad præcautionem, nimirum iis verno tempore illa ſunt

administranda: nam vt sanguis detrahi possit requiruntur vires, atqui vere illæ constant: nam cum ver sit temperatum, & minimè exitiosum ex Hipp. Aph. 9. lib. 3. vires corporis auget, in eoque plurimum sanguinis gignitur. Ergo vere commodè mittitur sanguis. Vt vero purgentur humores oportet habere naturam fautricem. Atqui vere humores liquescunt à tepido, & moderato calore, corporáque fluida redduntur. At ex Hipp. Aph. 10. lib. 2. corpora vbi quispiam purgare voluerit facere fluida oportet: cum ergo naturæ, & temporis clementia fiant corpora fluida: tunc erunt purganda, & aliquãdo vtrumque præstandum, purgandum scilicet, & sanguis detrahendus: habenda est autem ratio naturæ humorum in tempore purgationis, & temporis reuersionis morbi; nam si corpus scateat humoribus crassis & frigidis, initio veris sunt purgandi, nisi enim eo tempore purgentur veris tepore funderentur, parerentque morbos aliquos, descriptos Aph. 20. lib. 3. si fuerint biliosi in fine veris educendi, ne in principio æstatis incendium concipiant: ratione temporis, siquidem morbus soleat redire initio veris, paulo ante euacuabimus materiam morbi futuri: atque ita faciendum in cæteris præripiendo humores, qui morbi futuri causa essent. Si quis autem quærat, num alijs tempestatibus liceat ad præcautionem euacuare. Respondeo licere, vt autumno, & aliis: sed Hipp. verba fecisse de tempore commo-

diori, ad id præstandum, verum Hip. nullumne præscripsit tempus sanguinis detrahendi, in morbis genitis & præsertim acutis? præfiniũt quidẽ: nam Aph. 29. lib. 2. scribit, cum morbi incipiunt, si quid videtur mouendum moue: cum verò consistunt & vigent quiescere melius est.

*Cùm morbi inchoant si q̃uid videtur mouendum, moue: cum verò consistunt & vigent quiescere melius est. 29. 2.*

HIc Aphorismus intelligendus est de omni euacuatione, ita vt familiare sit Hip. vsurpare verbum mouere pro euacuare, ratio autem Aphorismi hæc est: cum ad purgandum corpora, & sanguinem detrahendum sit opus virium robore: in principio vires sunt robustæ, licet aliquando oppressæ, quare in principio, si quid mouendum videtur moue, videri autem potest medico, cum adsint indicationes mouendi, vt si pletora adfuerit, sanguinem detrahere oportet, si adsit orgasmus humorum in principio morbi acuti, purgare est necessarium.

*Circa initia & finem morborum remissiora sunt omnia, in vigore vehementiora. 30. 2.*

IN principio ergo, cum natura molestatur grauioribus symptomatis feret facilè euacuationem, in statu non item.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# DE PVRGATIONE, ET EA QVÆ AD PVRgationem ſpectant.

*Corpora, vbi quiſquam purgare voluerit, fluida faciat oportet.* 10.2.



HÆc ſentētia pertinet ad humorum prçparatio▪,antequam purgētur: Ita vt fluida facere corpora, nihil aliud ſit, quam præparare humores, & aptos reddere ad purgandum. Fit autem hæc præparatio imitatione naturæ, nam Hippocrates Aph.22.1. ſcribit, quæ matura coctaq; ſunt medicamēto purgare ducere, ac mouere oportet: non cruda. nec per initia morborum, quare Medicus miniſter naturæ debet, etiam præparare humores, antequam purget. Quæritur verò, num hæc propoſitio ſit ſemper obſeruanda. Reſpondet Hipp. eodem Aph. niſi humores orgaſmum habeant, & turgeant, quod perrarò fieri ſolet, extra orgaſmum ergo ſunt humores præparandi. vt quidem ſponte natura nunquam molitur purgationes, niſi humores coxerit. Ita Medicus nunquam debet arte curationem inſtituere, niſi præparauerit humores purgandos, præparatio verò fit ſecundum diſpoſitio-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

nem materiæ per cõtraria, siquidẽ crassa sit & viscida attenuanda, & incidenda: si verò tenuis fuerit incrassandaa, nunc tenuis semper incrassanda? respondeo, si ducenda per aluũ, aut vomitu reiicienda, facilius tenuis, quam crassa purgatur, si tussi, incrassari debet: nam tenue sputum difficile expectoratur, quod eludat ictum spiritus impellẽtis, diuiditur namque, & ita pellenti cedit.

*Concocta medicari, non cruda, neque in principiis, modo non turgeant: plurima vero non turgent. 22. 1.*

PRæscribit tempus purgationis, nempe, quo tempore humores peccantes sunt cocti, quorum coctio dignoscitur, ab excretorũ coctione, vrinæ, fæcum, & aliorum: nam si cruda educere tentet medicus, commouebit tormina ventris, cardialgias, propterea quod crudi humores agitantur à medicamẽto purgante, nec purgantur propter eorum crassitiem, & visciditatem: audienda tamen distinctio crudi, quæ scribitur à Galen. Comment. in sententiam primam lib. 2. de humoribus. crudum dicitur excrementum, quod à natura victũ non est, atque illud duplex censetur, vnum tenue, aquosum, & liquidum: alterum crassum, & glutinosum. Crudum primi generis, non spectata coctione vacuandum, nam si biliosum extiterit periculum est, ne calore, incendium, & acrimoniam acquirat, si pituitosum, quia facilè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

trahitur, educendum. Cruda vero craſſa & viſcida non ſunt purganda. Nam debiles non ſunt purgandi. Ad euacuationē namque requiritur virium robur: at cum humorum crudorum copia, nunquam robur coniungitur, tales autem ſunt craſſi & viſcidi, ergo non ſunt purgandi. Quæ ratio ſequenda eſt, vbi nullum impendet periculum ſuffocationis aut decubitus humorum in partes corporis, à nimia repletione crudorum & viſcidorum humorum: ſin verò metus ſit ſuffocationis, aut decubitus, ſatius eſt ad ſalutem ægri, illum pati ſymptomata dicta, à purgante medicamento, quam ſuffocari, aut pati, quæ à decubitu illorum in partes varias orirentur: maius namque malum eſt euitandum: at ſi humores turgeant, & orgaſmum habeant, id eſt, impellantur è parte in partem, quærentes exitum: aut à partium expultrice agitati tunc, ne in partem principem ruant de repente ſunt purgandi. Raro autem turgere ſcribit: quare in principio acutorum morborum, raro purgandum cenſet: his temporibus, in more poſitum eſt, in principio, & incremento morborum acutorum purgare ægros, quod multa colluuie humorum ſcateant, & benigna ſint quæ præſcribuntur medicamenta, quibus Hippocrates carebat.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Medicari in valde acutis, si materia turget, eadem die, tardare autem in talibus malum est.* 10.4.

ACuti morbi dicuntur, qui celeriter, continenter & cum periculo mouentur, qui sunt, aut cum febre, aut sine febre, vt Apoplexia, tetanus à repletione natus: in illis cum adsit calidorum, & siccorum humorum copia, nisi turgeant non sunt purgandi, quod purgantia medicamenta, fere sint calida sicca, a quibus magis calefiunt, & siccantur, raro ergo per initia purgantibus medicamentis vtendum, aut si his vti sit necesse, oportet ea adesse, quæ indicent purgationem, vt virium robur, humorum orgasmum, aut ita tenues sint humores, vt facilè duci possint & expurgari, in acutis verò ex materia frigida repente natis, citra orgasmum purgare cõuenit, vt in Apoplexia, metu suffocationis, & extinctione caloris innati, tum decubitus humoris illius frigidi in membra, vnde Paralysis solet succedere Apoplexiæ. Ex hoc Aphoris. intelligitur facilè 10. Apho. lib. 4. PVGNANDVM IN VALDE ACVTIS SI AD SVI EXCRETIONEM INVITET MATERIA EODEM IPSO DIE, DIFFERRE ENIM IN TALIBVS MALVM EST. Quod periculum sit, ne materia turgescens feratur in partem aliquam nobilem, in qua grauem suscitet morbum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Sudor multus ex ſomno factus, abſque cauſa manifeſta corpus vti pluri cibo ſignificat. Si verò parcius epulanti id eueniat, quod vacuatione indiget corpus, oſtendit.* 41. 4.

NAm cum copia ſudoris per ſomnũ ſine manifeſta cauſa naſcatur, aut à copia cibi, aut humorum, vt patet ex Aph. Si quis frugaliter, & parcius viuat, nihilominus, per ſomnũ ſudores emittat multos, onuſtus eſt humorum copia, à quibus indicatur purgatio, qui namque morbi à repletione oriuntur, euacuatione curantur: Sudor vero ſine cauſa manifeſta dicitur exire, quando oritur præter exercitium aut medicamentum ſumptum, quod ſua natura ſudores promoueat.

*Vtero gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget, quarto menſe, & vſque ad ſeptimum: ſed hæ minus: à iuniore autem fœtu & ſeniore abſtinere oportet.* I. 4.

HOc Aph. Hip. deſignat tempus commodius purgationis, prægnantium nimirum à 4. menſe ad 7. vſque, in eo enim tempore minus timetur abortus, quam in reliquis, nam vt explicat Gal. lib. de formatione fœtus, ligamenta quæ ſuſtinent fœtum, ſunt ita tenera ac mollia, vt facile rumperentur, excuteretur q; fœtus, A quarto autem menſe ad ſeptimum, illa ſunt mediæ ſubſtantiæ, nec ita facile dilaceran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tur. In eo ergo tempore licebit medico tutius purgare: Sed Hipp. apponit, si materia turgeat, ex qua particula quidam interpretantur Hipp. dixisse prægnantem purgandam cũ morbo acuto laborat, qui morbus in prægnante ex Aph. 30 lib. 5. lethalis est, in superioribus autem explicauimus in morbis acutis non esse in principio purgandum, nisi materia turgeat: at materia turget, non solum in morbis acutis, verum aliquando in statu neutro decidẽtiæ. quando præsentiuntur dolores vagi, & motus humorum è partibus in partes, quare Aphorismus intelligendus de vtroque statu. Quæritur, num extra illud tempus præfinitum liceat purgare prægnantes in morbo acuto. aut extra morbũ acutum. Respõdemus ex positis, mulieres grauidas morbo acuto correptas lethaliter laborare, Atqui extremis morbis, extrema debentur remedia, quæ sunt potissimum purgatio, & sanguinis missio. Ergo purgandæ extra illa tempora. Opponunt abortum futurum in primis & postremis temporibus: respondemus primo ea esse præbenda medicamenta, quæ parum corpus exagitent, vt Rheumbarbarum, mannam, tamarindos, & similia. 2. si mater sit interitura vix à periculo mortis fœtus liberabitur. Satius est ergo potiorem habere rationem matris, quam fœtus præsertim cum eodem tempore possimus & fœtui suppetias ferre per vnguenta, linimenta, apposita, & alia remedia. Ergo grauidas purgabimus primis &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

postremis mensibus, si adfuerit purgationis indicatio, cum benignis medicamētis. fœtui interim opitulandum. Petitur præterea num extra orgasmum liceat grauidas purgare. Respondemus posse, siquidem adfuerit cacochymia, præparata prius materia peccante, & præsertim in illis, quæ solent epilepticos fœtus aut graui morbo affectos parere: adhibēda tamen est maxima cautio in illis quæ solent certis temporibus aborsum pati, vt vitemus illa tempora.

*Muliebri menses decolores, nec eodem semper modo, & tempore prodeuntes, purgationem indicant esse necessariam. 36.5.*

MEnses sua natura fiunt ex puriori sanguine, victimæ recens mactatæ simili, qui si decolores extiterint, significant alium à sanguine humorem redundare in corpore, nimirum pituitam si albicantes, bilem si flaui, atram bilem, si atri fuerint. Vnde capitur indicatio redundantis cacochimiæ proindeque purgationis. Pari casu, si menses eodem modo & tempore nō fluant, quo solent naturaliter, nimirum semel singulis mensib. & quantitate consueta, humorum diuersam constitutionem à naturali dispositione demonstrant, proindéque purgationem moliendam, vnde patet veritas Aphorismi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Si leucophlegmatia detento, fortis diarrhea superuenerit, morbum soluit. 29.7.*

MEdicus ita in ea ſpecie hydropis quæ fit à pituita totum habitum corporis occupante, imitatione naturæ debet purgare pituitam frequenter, & ſatis forti medicamento. Verum metiendæ ſunt vires, ſiquidem extiterint robuſtæ, fortis diarrhea, id eſt profluuium ventris pituitoſum ſanat: ſi verò effœtæ langueant interimit. Caueat ergo Medicus, ne in debilitate virium purgationem illam inſtituat. Hic ergo Aphoriſmus eſt curatiuus, & prognoſticus, primo enim docemur in leucophlegmatia conſtantibus viribus, debere nos purgare frequēter pituitam vt curemus 2. docet prædicere quid futurum ſit ex diarrhæa nata in leucophlegmatia, nimirum, ſi vires ſint robuſtæ ſanatum iri ægrum, ſin debiles moriturum.

*Quæ educere oportet quo maxime vergere videbuntur ducito, vijs ac locis vtiliter eò ferentibus. 21.1.*

ADmonet Medicum, vt purgādo ſequatur inclinationem humorum, ſi loca ſint commoda, nam Medicus eſt imitator naturæ: hæc vero ſententia interpretatione eget. Nam inclinatio humorum, aut eſt ſymptomatica, aut critica. Critica omnis excretio perfecta relinquenda,

Nam ſcribit Hip. Aph. 20. lib. 1. quæ iudicantur, & iudicata ſunt integrè, nec mouere, nec aliud quidquam nouare, vel medicamentis, vel aliis irritamentis, ſed ſinere oportet. Imperfecta vero criſis iuuanda: ea de cauſa Hipp. Methonis caput fouit aqua tepida, cum natura per hæmorrhagiam pigrè mouiſſet excretionem: ſi inclinatio ſit ſymptomatica, nec iuuet, ſiſtenda. Hæc diſtinctio continetur Aphoriſmo 2. libri 4. inquit enim purgantium medicamentorum vſu, talia è corpore ducere oportet, qualia etiam prodeuntia iuuant, contrario vero modo exeuntia ſiſtenda: iuuant vero quæ cocta, & criticè expelluntur, quæ verò contrario modo exeunt ſymptomatica habentur, & ſiſtenda ſunt, ſi non proſint: nam quorum excretio prodeſt, iuuanda, etiamſi fuerit ſymptomatica: vt quæ excernuntur ab irritatione: in qua fluxus fluxu curatur, quæ vero exeunt propter debilitatem facultatis retentricis ſunt ſiſtenda, ne exoluatur penitus natura. Loca vero commoda ſunt ea per quæ natura commodè ſolet ſeſe humoribus prauis exonerare, per vomitum, per ſeceſſum, per vrinas, per nares, per palatum, ac alias partes per quas ad naturæ imitationem, debet Medicus humores noxios educere, niſi pars illa, per quam imitatione naturæ ducere debet, ſit debilis, & læſa; lien purgatur per renes, arteriarum beneficio, aut per inteſtina per venas meſeraicas. Hoc poſito, ſi in renibus, aut inteſtinis extiterit vlcus, vel inflammatio, non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ducemus, quæ ſunt in liene per ea loca, ſed vomitu per ventriculum, per vas illud breue: quod a liene fertur in ventriculũ: atque ita in cæteris, quare conſilio Hip. 15. ſect. 6. Epid. ea quæ eò repunt, quo non eſt vtile ferri, reuellere oportet, ſin quo conuenit, iis vias parare, vt ſingula eo ferantur, quo conducibile.

*Æſtate quidem ſuperiorem magis ventrem, hyeme autem inferiorem purgare conuenit.* 4. 4.

NOn erat ſatis Hip. ſuperiori Aphoriſ. pronunciaſſe quæ ducenda ſunt ducere, quo magis vergere videtur, per loca commoda, niſi peculiariter deſignaſſet loca per quæ purgare oportet indicatione ducta à variis rebus. Capta ergo prima indicatione à tempeſtate anni, inquit, æſtate purgandum eſſe ſuperiorẽ ventrem, nempe per vomitum: hyeme vero inferiorem per ſeceſſum. Per ſuperiorẽ ventrem non intelligit more anatomiſtarum caput, ſed œſophagum, & orificium ſuperius ventriculi, ad quem bilis æſtate genita ſua leuitate aſcendit: per inferiorem vero fundum vẽtriculi, & inteſtina, in quibus ſtabulatur pituita hyeme producta. Loca autem commoda ſunt propinquiora, per quæ, vt diximus, natura ſolet purgationes moliri: atqui œſophagus, & orificium ſuperius ventriculi ſunt propinquiores ori, quam ano, ergo per vomitum excludatur oportet, materia billioſa, in illis contenta,

quæ verò in inferiori, per ſeceſſum: id confirmari poteſt, ex eo quod in morbis bilioſis, vt febre tertiana & aliis, Natura per vomitum vt plurimum moliatur excretionem, in pituitoſis, & melancholicis per ſeceſſum, debet autem intelligi hic Aph. de regionib. calidiorib.

*Sub canicula & ante caniculam difficiles, ac moleſtæ ſunt purgationes. 5. 4.*

CAniculares dies incipiunt 29. Iulij ad 8. ſeptembris, hoc autem fit propter debilitatem naturæ ab æſtu diſſipatæ, & potiſſimum ſi purgationes conſtent vehementioribus medicamentis.

*Graciles & ad vomendum faciles, per ſuperiora purgare conuenit, niſi hyems adſit. 6. 4.*

DVcitur indicatio loci per quem purgare oportet, à corporis habitu, & facilitate expurgandi: per graciles intelliguntur natura macilenti non morbo, aut alio accidente, qui natura ſint bilioſi propter calorem & ſiccitatē iecoris, proindeque reliquarum partium: à bilioſo aut ſanguine amaro, male nutritur corpus, vnde macies, nutritionis diminutione: tum facile diſſipatur alimentum tenue, per poros quos habent apertos: ex eo etiam contingit, vt venæ calore dilatatæ priuatione carnium apparentes, in illis intumeſcant: ad vomendum verò illi faciles

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ſunt, qui ventriculo ſunt calido, thorace amplo, & collo, tum qui vomere ſæpius conſueuerunt, calidus namque ventriculus multum accumulat bilis attrahendo: thoracis amplitudo, & colli non reluctantur materiæ per œſophagum in vomitu aſcendenti: conſuetudo autem facit, vt facilius euomant. hyeme verò incommodus eſt vomitus, propter rationem iam dictam.

*Ægre vomentes, & modice carnoſos, quos euſarcos appellant Græci, infer, ne purgato, deuitans æſtatem. 7. 4.*

Aliud eſt ęgre vomere particulari partium conſtitutione, & conformatione, nimirum thoracis anguſtia, & colli, aliud vomere periculoſe, & cum damno, vt qui ſunt capite debili, quod vomitu illud repleatur, qui reiicere ſolent ſanguinem è pectore, & ventriculo, agitatione namque aperiuntur venæ, vnde ſanguinem effundunt. Item tuſſiculoſi tabi obnoxij & Anginæ quibus omnibus eſt incõmodus vomitus, hi ergo cum ex vomitu damnis augeri ſoleant: ad vomendum non ſunt prouocandi: præterea qui ſunt mediocriter carnoſi, quos purgandos diximus per inferiora ob copiam pituitoſi humoris, quo abundant, euitare tamen æſtatem oportet: quod tunc temporis bilis dominans ſurſum feratur, licet in regionibus frigidis, & paulo moderatioribus, hæc non obſeruentur, vt ſcribit doctiſſimus Holerius.

Tabi

*Tabi obnoxios per inferiora, cauentes superiora.8.4.*

QVorum natura & peculiaris partium conformatio vergit ad tabem, per vomitum non sunt purgandi: Tales autem sunt, qui collo sunt oblongo, capite grandi, pectore breui & angusto, humeris elatis, quos pterygωdes appellat Hipp. hi namque tali sunt partium cōstitutione, vt è cerebro excrementis redundante ad perpendiculum cadat humor in pulmonem, ex quo fit, vt pulmo exulceretur: & tabes vlceri succedat: per vomitum autem repletur caput, exagitantur pulmones compressi pectoris angustia, vnde alterantur & debiliores redduntur, proindéque defluxionibus magis obnoxij fiunt.

*Melancholicos autem vehementius per inferiora purgabis: eadem ratione contrariam iniens vacuandi viam.9.4.*

PEr melancholicos intelligit humore melancholico, & atrabilario redundantes, quorum humores, cum crassi sint per inferiora purgandi erunt, vt demonstratum fuit. Quæritur vero num vehementi medicamento sit purgandus humor melanch. Respond. concocta oportet medicari non cruda ex Hip. crassi humores melancholici sunt crudi: ergo coquendi, quare in primo vehemēti medicamēto non

ſunt purgandi: ad hæc cum cruditate virium robur nunquam coniungitur. Ad magnam vero purgationem opus eſt virium robore. Ergo vehementi medicamento educi non debet. Item experientia conſtat in febre quartana ſimplici per purgationes violentas effectum eſſe, vt ex vna ſimplici duplex quartana, aut triplex producta ſit. In partem contrariam adducuntur argumenta non pauca, cum enim melancholicus humor ſit craſſus & contumax, nõ poteſt è corpore educi, à leuioribus medicamentis, deinde Hip. lib. de veratro ad Democritum helleboro melancholicos putgandos cenſet, & Galenus Comment. In 47. Apho. lib. 6. Mulierem melancholicam & tumorem cancroſum in mammilla patientem, forti atque frequenti medicamento vtiliter ſe purgaſſe ſcribit. Ex quibus ſequitur melancholicos vehementioribus medicamentis eſſe purgandos. Ad conciliandas has differentes propoſitiones, Reſpondemus Hip. & Gal. intellexiſſe purgandos eſſe vehementi medicamento humores melancholicos præparatos, Hipp. námque & Galenus nunquam ſibi contradicunt.

*Quorum alui inteſtinorum leuitate laborant, hyberno tẽpore per ſuperiora purgari malũ.* 12. 4.

Ienteria fluxus eſt ventris in quo eſculenta, & poculenta cruda, vt comeſta ſunt deiiciuntur ob ventriculi re-

tentricem penitus proſtratam, propter frigidam intemperiem ventriculi, aut exulcerationem ſuperficiariam, ab humore acri natam, vt in aphtis ſolet fieri: aut ſaniem ab vlcere profectam qua irritatur expultrix ventriculi facultas, in ea ventriculi affectione à quacunque cauſa exorta ſit, Hip. pronunciat malum eſſe purgare hyeme per ſuperiora. Verum quãdo intemperies cum humore frigido cauſa eſt lienteriæ facilius eſt, & conuenientius purgare per vomitũ, duabus rationibus: primo quod iter ſit breuius à ventriculo ad os, quam à ventriculo ad anum: ſecundo quoniam vomitus in hoc affectu faciat ad reuulſionem, quæ ſupprimendo fluxui videtur maximè accommodata: Reſpondet Hollerius, vera eſſe hæc argumenta de particulari purgatione, non de vniuerſali: vocat, meo iudicio, purgationem vniuerſalem, quando talis pituita è toto corpore deſcendit in ventriculũ, cui expurgandæ ſeceſſus aptior eſt vomitu, præſertim, cum pituitæ copia ſatis magna contineatur in inteſtinis, nihil poteſt per vomitus euacuari, ex Gal. in Comment. huius Aph. Purgatio autẽ ventriculi particularis eſt, quando ſolus ventriculus ſcatet pituitoſa materia, quæ ponderoſa hyeme præſertim per inferiora purgari indicat. In aphtis vero, & exulceratione ventriculi non eſt vomitus accommodatus, quod partibus exulceratis ſit maximè noxia exagitatio, quare leui cathartico detergẽdo euacuabimus, per inferiora,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

præſertim hyeme: vnde conſtat veritas huius Aphoriſmi.

*Non febricitāti cibi faſtidium, cordis dolor, vertigo tenebricoſa, & oris amaritudo, purgatione per ſuperiora opus eſſe ſignificant.* 17.4.

HÆc omnia ſigna, ſunt indicia ventriculi malè affecti ab humoribus bilioſis, qui in eo continentur, à quibus cibi faſtidium, cordis dolor ab acrimonia, & roſione, in ſuperiore ventriculo ſuſcitatur. Vertigo vero, à vaporibus è ventriculo ad cerebrum elatis, oris amaritudo, ab humoribus bilioſis aſcendentibus à vētriculo ad os per tunicam interiorem, linguam inueſtientem, hæc verò indicare purgationem per ſuperiora probatur hoc modo. Humores bilioſi ſua leuitate ſurſum tendentes, vomitu ſunt purgādi: atqui illa omnia oſtēdunt bilis dominiū in ventriculo: ergo per ſuperiora purgationē fieri debere demonſtrāt: maior probatur, ex theoremate priori: Quæ ducere oportet quo maximè vergere videtur, &c. Probatur etiam ex euentu, & experientia: quod licet hoc modo affectis præbeamus medicamentum deiectorium, tamem vomitus excitabitur, propter humores bilioſos in ventriculo redundantes, in purgatione vero vniuerſali licebit forſan vti deiectoriis propter rationem explicatam, in affectis febre bilioſa, idem licet præſtare.

*Dolores ſupra ſeptum tranſuerſum, quicunque egent purgatione medicari per ſuperiora oportet, qui vero infra, per inferiora. 18.4.*

TOta difficultas huius Aph. conſiſtit in his dictionibus ſupra, & infra ſeptum transuerſum, ſiquidem ſupra ſeptum tranſuerſum exiſtunt partes, pectore concluſæ, pulmones, & cor, tum cerebrum, & quæ interiacent partes: infra verò, partes ventris inferioris, ventriculus, inteſtina, iecur, lien, renes, veſica, & vterus in mulieribus. Atqui in ſuperioribus aſſeruimus, humores biliosos in ventriculo contentos, vomitu eſſe purgandos, qui tamen eſt infra ſeptum tranſuerſum: Puto ego Hip. voluiſſe ſepto tranſuerſo ſeparare partes ſuperiores ab inferioribus: & merito propter breuitatem Aphoriſmi, & quod nulla ſit aptior ad diſtinguendas illas partes inter ſe, diaphragmate ipſo: nam perfectè diuidit vnam partem corporis ab alia, nullaque eſt, quæ proximior exiſtat, mediæ corporis parti: Quare iure ſignificauit, diſtinctionem partium ſuperarum, ab inferis, per ſeptum tranſuerſum. Ac ſi diceret, partes, quæ magis accedunt & ſua conformatione vergunt ad ſuperiorem partem corporis, per vomitum debent expurgari, ſi cætera conſentiant: vt ventriculus, & pulmones. Quæ verò ad inferiorem partem, per ſeceſſum, Quæritur verò, quid intelligat per dolores. Explicat, cum dicit eos, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

purgatione egent: Tales autem sunt, qui nascuntur ab humoribus, multa quantitate collectis, & per solam euacuationē educendis, nam si fiat euacuatio, per reuulsionem, modo contrario est purgandum, scilicet in dolore renum vacuabimus vomitu. In phtiseos metu, per secessum.

*Non febricitantibus, si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgari per inferiora oportere significatur* 20.4.

HIpp. in epistola de hellebori purgatione ad Democritum addit, Etsi menses ægre prodeant: cum autem hæ omnes partes sint infra septum transuersum, ex superiore Aph. per inferiora purgari est necesse. Cæterum tormina nascuntur, aut à flatu intestina distendente, vel ab acri humore intestina erodente. Genuum grauitas proficiscitur, à decubitu humorum è venis in eas partes, vt & lumborum dolor: menses vero suppressi indicant purgationem, per inferiora. Nam, licet illa purgatio, quodammodo deriuet, tamen ad loca promouet, per quæ fieri solet menstruorum euacuatio.

*Longo alui profluuio laboranti spontaneus vomitus superueniens, morbum soluit.* 15.6.

VT in sanguinis missione vacuatio fit per varias partes, prout reuulsio facienda est, aut deriuatio: ita & in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

purgatione. hic Aphoriſmus exemplum complectitur reuulſionis, quæ fieri debet per partem remotiſſimam, directè oppoſitam, & conſentientem.

*Ophtalmia laborantem, alui profluuio corripi bonum. 17. 6.*

PErtinet ad reuulſiuam purgationē hic Aph. vt quemadmodum natura alui profluuio ophtalmiam ſanat Ita Medicus purgatione deiectoria, ei remedium afferat.

*Quibus bilioſæ ſunt deiectiones, hæ ſuperueniente ſurditate ceſſant, & contra. 28. 4.*

EOdem ſpectat hic Aphor. quo ſuperior: vomitus námque præſtat reuulſionem in profluuio ventris. Medici cenſent, in hoc imitatione naturæ, vomitum excitandum in diuturno non in recenti, quod agitetur materia, in recenti, nec perfectè reuellatur. Quādo autem maiori ex parte eſt purgata: tunc vomitus multum prodeſſe poteſt: ad reuulſionem in homine ad vomendum apto.

*Eryſipelas foris intro malum intro foris bonum. 29. 6.*

INtus & foris ſunt aduerbia differentias ſitus contrarias ſignificantia: Inter quas fit reuulſio. In ſpecifico autem eryſipe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

latis exemplo genericas propositiones intellexit, nimirum omnem motum humorum à partibus internis nobilioribus ad partes externas esse laudabilem: contra vero omnẽ motum, à partibus externis ad internas nobiles, malum est. per quas propositiones significatur medico, ne purgando aut sanguinem mittendo reuocet humores intro, qui spõte ferebãtur ad superficiem. Illi enim ad eam artificio compelli debent: vel attrahi, vt in peste, bubone venereo, parotidibus & aliis.

*Qui ad veratrum non facilè supra purgantur, eorum corpora ante potionem copiosiore alimento, & quiete præhumectanda.* 13.4.

HOc Aph. docet Hipp. in quibus adest indicatio purgandi per vomitum, siquidem coniicimus eos difficile vomituros, oportet eorum corpora præparare humectando. Nam humida corpora facilius obsequuntur medicamentis quam sicca, nomine autẽ hellebori intelligit omne medicamentum violentum, cuius violentia ventriculus excitatur ad excernendum per partes superiores, qualia sunt elaterium, antimonium, mercurij puluis, quibus in perniciem ægrorum paracelsistæ empyrici carnifices vtuntur.

Post

*Poto helleboro, corpus mouendum potius, quam somno, aut quieti tradendum. Nam vel nauigatio indicat motione turbari corpora.14.4.*

APh. superiori positum fuit hellebori sumptione, id est, violentorũ medicamentorum acrimonia, vomitum cõcitari. cum ergo propositũ est medico vomitũ excitare, oportet mouere corpora deambulatione, aut alio exercitio, quod præcipit sequenti Aph.15.lib.4.

*Cum helleborum magis mouere voles, moue corpus: cum verò sistere, somnum concilia, nec moue.15.4.*

PRobat autem motu, cõcitari vomitum per effectus nauigationis: qui enim nauigio sese commiserunt, præsertim maritimo, propter agitationem corporis multa euomunt, vt experientia certum est. Nam motu humores attenuantur liquescunt, & commouentur, in vẽtriculo, ex quo excitatur ventriculus ad excludendos illos. præceptum itaque sit generale, quoties sumpto medicamento, vomitum concitare fuerit in votis, oportet mouere corpora: neque tamen prodest solum ad vomendum motus corporis, sed & ad deiiciendum: quãdo verò volumus prohibere vomitum, quietem & somnũ imperamus, non neglectis aliis remediis. quæ vim habens vomitum coercendi.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*In vomitionibus sponte factis, & perturbationibus ventris: si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: sin minus contra: sic, & vasorum inanitio: si talis fiat, qualis fieri debet confert, & bene tolerant, sin minus contra accidit proinde & regionis, & temporis, & ætatis & morborum habenda est ratio, pro quibus talia vacuari conueniat necne. 2. 1.*

DOcet Hipp. hoc Aph. imitatione excretionum sponte ortarum, vt talia purget medicus qualia oportet: vt enim in illis, si talia purgentur, qualia oportet, cōfert & facile ferunt quod ablatio causæ morbificæ sit ægroto conducibilis sin minus contra. Id est, si purgentur humores boni, relictis malis intus, in corpore, qui sunt causa morbi, non confert, nec facilè ferunt: quia grauioribus symptomatis exercentur ægri: non possunt autem medici, educere qualia oportet, nisi norint humores peccantes, signis propriis, & medicamenta norint quæ proprietate sua trahant tales humores: præceptum ergo Hipp. erit, vt Medicus nitatur ante purgationem cognoscere humores peccantes, morbos efficientes, & medicamenta quibus educantur: Siquidem talia præstiterit, eius purgatio conferet, quia aufertur materia, & causa morbi, & facilè feret, quia symptomata quiescent, aut saltem imminuentur. Quod si medici imperitia

contigerit, vt talia non purgentur, qualia oportet: non feret facilè æger: sed peiùs habebit: verum cum morbi ingrauescant vsque ad statum, crescántque proinde symptomata, facile ferre, & conferre non erunt vera indicia purgationis ex arte institutæ: respondeo post purgationem rectè præscriptam ęger melius habebit, quam antea: nihil vetat tamen, post purgationẽ increscere symptomata: quia natura ea sit morborum & corporum, non purgationis vitium.

*Quæ vacuantur, multitudine metienda non sunt: sed si quæ oportet vacuentur, & facilè ferant; atque vbi ad animi deliquium facere conuenit faciendum, si ægrotus par esse possit.* 23 1.

HIc Aphorismus intelligẽdus, de omni euacuatione sed præsertim de purgatione: in sanguine enim detrahendo, nõ aduertimus qualitatem, sed copiam: In purgando verò maior habetur ratio qualitatis, quam quantitatis: nam purgatio est euacuatio humorum qualitate peccantium: Ignari tamen falso imaginantur, & credunt se imperfectè purgari, nisi magna copia euacuetur, quorum opinioni plurimi obsequentes, violenta probant medicamenta: melius consulentes propriæ æstimationi & crumenæ quam ægrorum saluti: Sequamur ergo Hip. edictum in purgãdo, & non metiamur euacuationes quantitate: sed potius qualitate, vt diximus in supe-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

riori Aph. non est tamen negligẽda quantitas. Nam magnæ humorum copiæ ampla debetur euacuatio: potior tamen est ratio qualitatis quam quantitatis: nam exigua purgatio potest iterari, damnũ verò quod cõtingit ex errore qualitatis, nequit resarciri. cætera fuere explicata.

*Qui potione medica, dum purgantur, non sitiunt, ipsorum purgandi finis non sit, donec sitiuerint. 19. 4.*

INtelligendus est Aphotismus de purgatione eorum, qui ante quam purgarentur, non sitiebant, & qui purgantur medicamento moderato, sitim minime excitante, quia quando purgãtur cum his cõditionibus eorum purgatio debet prorogari, quousque sitiant: sitis namque superueniens purgationi, signum est perfecte purgatum esse corpus: contingit verò illa sitis ob humiditatem vẽtriculi exhaustam, à qua siccitas introducta, sitim commouet.

*Qui salubritate corporum sunt præditi, hi purgante hausto medicamento statim deficiunt, vt, & qui prauo vtuntur alimento. 36. 2.*

PRima pars huius Aphorismi in sequenti perfectius exprimitur: cum scribit Hip. *Qui integra sunt corporis valetudine medicationes molestè ferunt.* Quæ autem medicamenta, & purgationes intelligat Hipp explicat 16. Aph. 4. lib. cum scribit hellebo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

rus periculosus, sanas carnes habentibus, quippe conuulsionē efficit. Ergo intelligit de medicamētis violētioribus, quæ habent vim, exolutionem, & lypothimiam producendi, aut conuulsionem: Præcipitur ergo, ne sanis violenta exhibeamus medicamenta: bene valentibus enim non est opus medicina, & præsertim violenta. Nam cum medicamenti facultas sit attrahere humores deprauatos, si nulli extiterint in corpore, vt non sunt in corpore perfectè sano, medicamentum illud exeret suas vires in partes sanas solidas, in quibus efficiet colliquationem & exolutionem per spiritus dissipatos, aut conuulsionem, à siccitate, propter nimiam purgationem: neq; etiam ea violenta cathartica sunt præbenda iis, qui prauo vtuntur alimento: In illis namque adest penuria caloris natiui propter cacochymiam, ex quo facile exoluuntur, tum vapores corrupti ad orificium superius ventriculi elati pariunt syncopen: denique mordacitate sua, persæpe dolores tantos pariunt, vt lypothymiam accersant: tales ergo benignis sæpius & repetitis medicamentis, purgandi.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# DE VSV ALIORVM, REMEDIORVM SPECTANtium ad prophylaxim, & ad curationem.

*Quæ longo tempore assueta sunt, etiamsi deteriora sint minus ijs, quæ insueta sunt molestare consueuerunt. Quare ad insolita quoque facienda mutatio. 50. 2.*



EMEDIA sumũtur, ex pharmacia aut chyrurgia, aut ex rebus non naturalibus: res non naturales considerantur pluribus modis, aut vt sunt causæ procatharticæ morborum, vt in 3. lib. Aph. & lib. de aëre, locis & aquis: aut vt sunt remedia ægrotis administrata secundum regulam indicationum, contrariorum contraria sunt remedia: hoc loco illas contemplamur secundo modo: in primísque agemus de eorum electione, & administratione, indicatione sumpta, à consuetudine, cum enim vsus rerum non naturalium sit necessarius omnino, vt aëris, cibi, potus, somni, vigiliæ, motus, & quietis, animi pathematũ euacuationis, & repletionis, fieri vix potest, vt non assuescamus vsui illarum particulari, vt aëri frigido, aut calido, assumptioni talis cibi, aut potus, atque ita de cæteris: Quam ob causam Hip. scripsit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

hunc Aphorismum, de consuetudine scilicet, Quæ longo tempore consueta sunt, vt degere in loco humido, etiamsi deteriora sint, id est, minus conueniant prohibendo, aut sanando morbum, attamen iis, quæ sunt insueta minus molestare solent, quia consuetudo est altera natura: A natura autem sua quisque difficillimè separatur: Ita licet ad curationem maxime conueniat ægris, in molli recubare lecto: tamẽ pastores, & custodes gregium, lecto molli maximè offenduntur, vt experientia probari in multis potest. Ne autẽ hoc accidat Hip. suadet faciendã esse mutationem ad insolita, ne sæpe lædamur: Quoniam conditio humana huiusmodi est, vt insolitis sit vtendum necessario. Videamus ergo quomodo sit facienda mutatio, & in quibus: primam partem declarauimus cap. 2. de methodo curandi, secunda explicanda, in iuuenibus in quibus satis superest temporis, ad percipien dum fructum, consuetudinis mutatæ, facienda est, sensim mutatio: In senibus autem qualis est talis conseruanda ex Gal. In libris de sanitate tuenda, quod difficillime à consuetis recedant, nec possint recipere fructum mutationis.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Qui consueti labores solitos ferre, etsi inualidi sunt, aut senes, facilius ferunt, quàm qui non sunt assueti, quamuis robusti, & iuuenes. 49. 2.*

HVius Aphorismi probatio pendet ex superiore, quæcunque enim conueniunt generi essentialiter, conueniunt & speciei.

*Calidum frequentiore vsu hæc inuehit incommoda, carnis effeminationem, neruorum Incontinentiam, mentis torporem, profusiones sanguinis animi deliquia, ad quæ quidem mors. 16. 5.*

AD refrigerationem totius corporis & humectationem, ad sanãdos dolores, ad alimẽtũ, attrahẽdũ ad partes laxãdas & emolliẽdas medici solẽt balneis, aut semicupiis, aut fotibus vti ex aqua tepente sola, aut herbis adiunctis: in quorum vsu Hipp. prohibet frequentiam, quæ corpori hæc inuehit incommoda: carnis effœminationem, nimirum emoliẽdo, quæ dura mediocriter esse debent, vt nerui, & calore dissipando, nectar viuificum partium: quare neruos tendines, & ligamenta debilitat, proindeq; tremorem corporis parit, mẽtis torporẽ, quod spiritus humidiores efficiat difficiléque mobiles, & ad contemplationẽ ineptos, profusiones sanguinis excitat, calorem inducẽdo, qui attenuat sanguinem, venas aperit emollitas, propter distentionem ab extumescentia venarum: quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

cum rariora ſunt maius occupant ſpatium: Tandem propter diſſipationem ſpiritus, mortem adfert, præſertim ſi balneum calidius extiterit. Caueant ergo medici, ne curam balneorum committant mulieribus ignaris, quæ balnea prodeſſe non poſſe putant, niſi ſudores prouocent, per quos diſſolutio ſpirituum ſignificatur, & paulo pòſt mors contingit, vt ſæpiſſimè aduenit, atque vt balnei frequentiori vſu iſta incommoda parantur toti corpori, ita ſemicupio, & fomentis illis partibus, quibus applicantur frequenter.

*Frigidum conuulſiones, tetanos nigrores, & rigores febriles adfert.* 17.5.

FRigida multa ſunt aër hyemalis, aqua, lapides, medicamẽta, vt ſuccus lactucæ, mandragorę, cicutæ, hyoſcyami, papaueris, quæ moderate, & loco vſurpata multum conferunt, immoderatè vero pariunt ſymptomata quæ recenſet Hip. conuulſiones quidem exſiccando, vt & tetanos, qui conuulſionis eſt ſpecies, rigores febriles retinendo euaporationem fuliginoſorum excrementorum, à quibus vellicantur partes, & rigorem excitant. Quod illæ partes nitantur excutere, quod illis noxium eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Frigida inimica oßibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ: calida vero vtilia.* 18. 5.

VNa ex præcipuis indicationibus in medendo ſumitur ex parte affecta, cuius temperamentum conſeruandum eſt ſimilibus, hæ omnes partes, quæ in Aphoriſmo recenſentur ſunt frigidæ: nam ſpermaticæ ſunt, quæ frigidæ dicuntur. Ergo frigidum illis erit amicum. Reſpondemus frigidas dici, id eſt, minus calidas quam ſint carnoſæ, quare conſeruari debent calidis moderatis, non frigidis: calida ergo moderata ſecundum gradum earum partium, temperamento reſpondentem ſunt amica.

*Quæ refrigerata ſunt ea excalefacere oportet, exceptis ijs vnde fluit ſanguis copioſus, aut profluxurus eſt.* 19. 5.

HIc Aph. reuocatur ad illũ generalem explicatum, contrariorum contraria ſunt remedia: hoc vero loco poſitus eſt conſecutione quadam. Poterat enim aliquis ita argumentari, quia frigida calidis ſunt contraria, Oportet perfrigerata excalefacere, vt contraria expellamus: verum quidem fatemur eſſe axioma, pati tamen exceptionem, in iis quæ ſanguinem profundunt, aut qui breui profuſuri ſunt. refrigeratio verò naſcitur in noſtro corpore, multis de cauſis, nimirum aut diſſipa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tione caloris innati, quæ refrigeratio dicitur priuatiua, aut vi frigoris externi extinguentis, quæ primo modo refrigerata sunt, indigent moderatè calefacientibus, & humectantibus, per alimenta: Quæ verò refrigerata sunt, à frigore positiuo extinguente calorem, calefacientia postulant moderata: vbi vero aliquis sanguinem profundit, aut mox profusurus est non suadet calidum applicandum, etiamsi perfrigeratio adsit, quod maius contingeret damnum, ex hæmorrhagia, quam ex reparatione intemperiei: Sanguis enim præter quam quod calefacit, nutrit etiam & reparat humidum naturale exhaustum: Medicamenta vero calida intemperiem solam corrigunt. At causticis vtimur in profluuiis sanguinis, vt cauteriis actualibus, & potentialibus, vt puluere calchanti, & aliis respondemus peraccidens illa sistere sanguinem, quatenus escharram pariunt, per se verò nequaquam.

*Frigidum vlceribus mordax, cutem obdurat, dolorem insupurabilem facit, nigrorem inducit, rigores febriles, conuulsiones, & tetanos creat.* 20 5.

NE quis lege contrariorum existimaret frigida omnibus supra modum excalefactis adhibēda admonet Hip. quibus applicare non debeant, nimirum vlceribus: quia frigus siccando diuellit, & ita soluit continuum, proindéque dolo-

rem procreat mordacem, & vellicantem: Augetur vero acrimonia retentione fuliginosorum excremẽtorum: frigidum autem obdurat ſiccando, ſicca namque dura exiſtunt: dolorem inſuppurabilem facit: hoc loco capit dolorem pro abſceſſu, dolor namque in pus non vertitur, ſed potius materia apoſtematis, niſi pro ſuppurari intelligat domari: cum enim ſuppuratur abſceſſus, licet dolor accreſcat: tamen per abſolutam ſuppurationem cõquieſcit. Cætera fuere explicata in ſuperioribus.

*Eſt tamen vbi in tetano ſine vlcere iuuene bene habito, æſtate media, frigidæ larga profuſio calorem reuocat, calor vero hunc ſoluit.* 21 5.

SI quis autem opponat contra ſententias deſcriptas, frigidum tetanum curare, Reſpondet Hip. Id fieri per accidẽs, neque in omni corpore, Sed in iuuene carnoſo, & media æſtate: nam iuuenes plurimum habent calidi innati: quare frigida aqua non exſiccabit, neque refrigerabit neruos, ita vt poſſit tetanum parere: habent autem poros ſatis denſos, per quos aqua non facile poteſt penetrare, & quod æſtate refrigeratio tota ſit externa: fit ergo, vt aqua frigida calorem innatum non extinguat, ſed potius colligat & vniat & fortiorem reddat, à quo fortiori effecto ivncitur tetani materia replens: quare veri ſunt ambo Aphoriſmi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Calidum in quo vlcere pus mouet, maximum securitatis præstat indicium, cutem emollit, extenuat, dolorem lenit, rigores, conuulsiones, tetanos mitigat, capitis grauitatem soluit, ossibus fractis plurimum prodest, maxime si nudata sint, multoque magis si in capite. His etiam prodest quæ moriuntur, aut vlcerantur à frigore. Herpetibus denique exedentibus, sedi, pudendo, vtero vesicæ, his omnibus calidum amicum & decretorium, frigidum Inimicum, & interimens. 22. 5.*

PRopterea quod in superioribus pronunciauerat Hipp. frigidum vlceribus esse mordax, argumentando à contrariis, aliquis posset arbitrari calidum vlceribus esse vtile mitigando, & mordacitati aduersando, quod in vniuersum est falsum, pluribus namque non conuenit, quibusdam tamen confert, præfinit taq; vsum aquæ tepidæ in vlceribus, Inquiens, calidũ, in quo vlcere pus mouet maximum securitatis prestat indicium. Intelligendum itaque quænam sint illa vlcera in quibus calidum suppurationẽ promouet. Suppuratio, pus est caloris partis solidæ & caloris præter naturam. Sed non producitur ille effectus in omni vlcere, vt in maligno, male morato, & similib. sed cãcroso, fistuloso, in simplicibus, recẽtibus, & boni moris. At tepida potius impedit suppurationem, quã iuuet. Nã ad suppurationẽ opus est emplastricis medicamentis ad cohibendum ef-

fluxium caloris Innati, aqua verò tepida laxat poros & aperit, quare ſuppurandis vlceribus non eſt commoda. Reſpondemus plus prodeſſe tepido illo calore, ad materiæ ſuppurationem, quam nocere dilatatione pororum, neque intelligēdū tantum vt arbitratur D Duretus de tali vlcere exiſtente in qualibet parte, ſed de eo qui ſedem obtinet in partibus frigidis, oſſibus, membranis, ſede, pudendo, vtero, veſica, aut de his quę fiunt à frigore, vt perniones, quod collegit ex vltima parte huius. Aph. Cum inquit ingens calidū prodeſſe oſſibus fractis, maxime ſi nudata ſint, ſedi, pudēdo, vtero, veſicæ, nam pus conficitur ab amico naturæ: calidum his omnibus eſt amicum, ergo in illis maxime promouebit ſuppurationem neque conuenit quolibet tempore, nimirum in principio defluxionis, ſed defluxione conſiſtente: laxat namque tepidum, & defluxiones auget. In his ergo cum ſuppurationem promoueat, maximum ſecuritatis præſtat indicium: eſt namq; ſuppuratio coctio quædam ſiue pepaſmus. At coctio ſecuritatem Indicii pollicetur ex Hipp. In Epid. recenſet deinde cætera tepidæ commoda, cutem emollit, humectando, attenuat craſſa fundendo, dolorem lenit quia eſt anodina, calida, humida, tum rigores ex retētione materiæ natos aperiēdo poros, & reſoluendo materiam retentam. Conuulſiones, & tetanos, eodem modo tum & capitis grauitates: oſſibus fractis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

plurimũ prodeſt. Nam in fracturis oſſium à retenta materia pruritus nonnunquam percipitur, cui ſedando maxime apta eſt fomentatio ex aqua tepida: eſt etiam vtilis quando callus eſt generandus, quod ſcilicet attrahat materiam neceſſariam ad callum generandum, maxime ſi oſſa nudata ſint, Quod calidum ſit amicum oſſibus præſertim ſi in capite fuerit vlcus. Verum Hip cap de vlceribus nõ vult vlcera humectari, nec vino quidem, nam vlcera curantur ex ſiccatione, aqua vero tepida humectat. Reſpondemus applicari vlceribus capitis non qua ratione vlcera ſunt, ſed propter dolorem adiũctum, aut eryſipelas ſub ortum, quod mitigari poſtulat, vt etiam prodeſt herpetibus exedentibus. His verò tẽporibus, in quibus omnia pretio & diſpendii magnitudine ponderantur, aquæ tepidæ perfuſio non eſt in vſu: ſed loco illius vſurpantur, decoctiones, linimenta: & alia remedia.

*Suffitus aromatum muliebria ducit, ad alia vero multa vtilis eſſet, niſi capitis generaret grauitatem.* 28. 5.

PRopoſitio vniuerſalis eſt hæc, aromatum ſuffitus ſanguinem ducit venarum apertione, Omnia enim calida tenuis ſubſtantię ſunt aperientia, Generat autem capitis grauitatem propter repletionem, & diſtentionem membranarum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Ad secūdas deturbandas sternutamento Immisso, nares & os manu obtura. 49.5.*

EST remedium de turbandis secundis commodum. Quod facile intelligitur.

*Si febris non ex bile sit, multa aqua calida capiti superfusa febrem tollit 41.7.*

QVia maxima pars febrium putridarum nascitur ex bile, aut non sine bile, nomine tamen bilis breuitatis gratia Intelligit Hip. reliquos humores, ac si diceret, si febris non generetur ex humoribus, multa aqua calida capiti superfusa febrem soluit, nimirum ephemeram ortam ex insolatu capitis, tum hecticas simplices, & ephemeras reliquas in quibus est opus dilatatione pororum & humectatione, præsertim, si totum corpus in balneo tepido madescat.

*In his*

*In his frigido vtendum, vnde fluit, aut fluxurus est sanguis, non quidem eodem loci, Sed ad ea loca vnde fluit admoto: & si quæ partium inflammationes, aut deflagrationes, ad rubrum sanguineumve colorem tendunt recenti a florescente sanguine, iisdem Ipsis adhibito. Nam Inueteratas nigrefacit. Erysipelas etiam non vlceratum Iuuat, siquidem exulceratum lædit. 23.5.*

HIc Aphorismus continet vsum aquæ frigidæ & omnium liquorum qui frigidi sunt. Frigida habent vim sistendi, & reprimendi effluxum in sanguinis, Quocirca colligeret aliquis, ad fluxum sanguinis, admouendam esse aquam frigidam, quare vt illius vsum commodum doceat Hip. scribit in fluxu sanguinis parti, à qua fluit aut fluxurus est frigida sunt applicanda, non quidem eodem loci, sed ad ea loca vnde fluit, id est ad partem proximam: si namque applicaretur eidem parti noceret, Quia frigidum vlceribus mordax & Inimicum est partibus spermaticis, quæ in vlceribus detectæ sunt, quare iubet, vt vicinis applicemus: tuncque tale remedium appellatur defensiuum, quasi defendat & prohibeat sanguinis effluxum, repellendo & condensando, vt si sanguis efluat per nares defensiuum potest apponi fronti, aut collo. Hæc verò debent opponi in principio non neglectis reuellen-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tibus remediis cucurbitulis, sanguinis missione frictionibus ligaturis dolorificis paratur defensiuum commune ex vnguento de bolo: namque aqua frigida sola aliquando nocet partibus. Illud autem vnguentum eadem commoda præstat, & præterea corroborat partes, nec Hip. aquam frigidam dicit sed frigidum, subintelligẽs omne medicamẽtũ: refrigerãs verũ quando sãguis fluxurus est, quid vetat partibus, vnde fluxurus est applicare frigidũ? cũ eius cõtinuitas nondũ sit soluta: nihil prohibet: quare Hipp. subiungit applicandum esse frigidum ad ea loca, vnde fluit, si vero fluxurus est loco illi, vnde fluxurum putamus. Intelligit verò illis esse vtendum in fluxibus sanguinis symptomaticis, qui non Iuuant, non in criticis. neque tantum frigida apposita, aut loco proximo in fluente, aut eidem, In fluxuro sanguine prosunt, sed aliquando opposito & longinquo: Experientia enim compertum est aquã frigidã affusam testibus sistere hæmorrhagiã narium retractione facta sanguinis per sensum molestum frigiditatis, Deinde inquit, adhibere oportet partibus ipsis, siquidem in illis sint inflammationes, aut efflagrationes, aut rubores recẽtes ex sanguine. Nã quia sunt recẽtes inflammationes, fiunt ex sanguine tenui, qui facile repellitur intro. In diuturnis vero inflammationibus, sanguis crassescit à calore tenuiorem partem dissipante, quam ob causam vi frigidorum, non repelleretur

ſanguis, ſed craſleſceret, vnde nigreſcerent illæ partes, vſus autem frigidorum eſt neceſſarius inflammationibus, ne tanta copia in partem affectam deſcendat ſanguis, vt calorem innatum ſuffocet, idem præſtandum in eryſipelate recenti non vlcerato, eadem ratione, non autem in exulcerato, quia frigidum vlceribus mordax.

*Frigida veluti nix & glacies pectori inimica, tuſſes mouent, venarum ruptiones & diſtillationes efficiunt.* 24. 5.

QVoniam Apho. ſuperiori frigidorum medicamentorum vſum præſcripſit, ne quis omnib. partibus, aut proxime, aut ipſiſmet applicanda arbitraretur, admonet medicũ ne in affectibus pectoris, vtatur frigidis niſi moderatis vt ſyrupo violato, & Papauerico quæ moderate frigida ſunt: Id verò patet ex ipſo textu, ſiquidem voluiſſet omnium frigidorum vſum prohibere, in affectibus pectoris ſcripſiſſet frigida pectori inimica eſſe: quod reprehendendum videretur in diſciplina aphoriſtica. Cum ergo dicat frigida veluti nix & glacies. Intellexit de extremis frigidis, non de illis quæ in frigiditate moderata ſunt: ratio autem aph. reddi poteſt ex Hip. lib. 1. de morbis, Quando ſcribit pectus carne nudum eſt & intra ſe pulmonem mollem continet, qui difficile reſiſtat corpo-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ri, Præterea cor frigoris violentioris occursu, maxime læditur: Quare pectus osseum & cartilagineum, cuius partes sunt spermaticæ, maxime à frigore offenduntur, In pectoris ergo morbis, frigidis Impense non est vtendum: Hæc frigida sunt inimica pectori, quod tusses moueant, quæ pectori infestæ sunt quippe motus illius præter naturam: excitatur vero tussis ab intemperie frigida tracheæ arteriæ, aut reliquarum partium pectoralium, aut defluxione in illas, omnibus namque partibus à natura datum est, vt expellant quod noxium existit, venarum ruptiones efficiunt, quod frigore condensentur, & durescant venæ sua natura siccæ, quæ vero talia sunt facile rumpuntur, catharrhos vero pariunt frigida pituitam generando & cerebrum comprimendo.

*Articulorum tumore & dolores ab, que vlcere, atque etiam podagricos, & conuulsiones magna ex parte frigida largè effusa leuat & extenuat, soluitque dolorem. Nam modicus torpor dolorem soluendi vim habet 25. 5.*

EXceptione explicata, reuertitur, ad alios effectus frigidorum medicamentorũ, & potissimũ aquę: verũ cum articuli sint partes frigidæ, illis autem frigidum inimicum sit constitutum, quo pacto poterit prodesse illarum affectibus? Respondemus ratione partis nocerent quidem: sed quia illæ supponuntur affectæ morbis calidis ab effluxu materiæ calidæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ortis: ideo non nocet: sed plurimum iuuat repercussione materiæ & temperatione. Verum si cõuulsiones procreat ex aph. 17. lib. 5. quo pacto illas iuuare potest. Respondeo, generat conuulsiones exsiccando sanat verò illas quæ fiunt à repletione per accidens vt explicatum fuit 21. aph. lib. 5. soluit autem dolorem à calida intemperie ortum per se: per accidens autem inducendo torporem parti, cui applicatur: à quo fit, vt dolor non sentiatur.

*Oculorum dolores, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut phlebotomia, aut purgatio soluit. 31. 6.*

REgula est methodi. vniuersalia remedia debẽt præcedere topica: In hoc aphorismo generalia sũt sanguinis missio & purgatio: Topica vini potio, balneũ, fomẽtũ. Ergo generalia sunt præmittẽda. Quoniam vero remedia diuersa, diuersis accommodantur causis morborum: pars enim hoc loco vnica est. Oportet distinguere causas quibus aptanda sunt remedia illa, vinum est calidum attenuans, conueniet ergo causæ frigidæ superandę. Si ergo dolor oculorum ortum duxerit à pituita crassa vinum præponendum dilutum iis, qui diluto vti consueuerunt, sed paulo meracius solito iis qui meraco vti solent: præbetur autem ieiuno stomacho iis qui capite sunt robusto:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

Quod vinum feriat caput eique noceat, capite debilibus à sumpto cibo: In causa calida acri, est opus tantum fomento, ex aqua tepida adiunctis propriis medicamentis.

*Non si recta ratione gerenti omnia secundum eam minus succedant, protinus est ad aliud transeundum, modo illud constet, quod ab initio visum fuit. 52. 2.*

EX quo colligi debet si contraria, aut diuersa appareant signa, quam in principio: aut quod nouus sit morbus subortus vt lues venerea in principio, aut si error contigerit, medici est muneris, mutare remedia cum error, aut morbus innotescit. Sin peruicax morbus exstiterit perseuerandum est in iisdem.

*Lac præbere capite dolentibus, febriculosis, & quibus hypochondria elata, aut murmurantia, & siticulosis malum. Malum item, quibus biliosæ deiectiones, febres acutæ & copiosa sanguinis euacuatio facta est: Cõuenit verò tabidis, non admodum valde febricitantibus, & febribus longis & languidis dũ nullum ex suprdictis signis adsit & præter rationem extenuatis. 64. 5.*

NAm hac parte caseosa & butiracea flatuosum est: à vaporibus augetur capitis dolor, & quia facile corrumpitur à calore pręter naturam febriculosis non

debet exhiberi. Quare nec sitibundis, nec hypochondriorũ murmuri obnoxiis, nec in biliosis deiectionibus, nec in acutis cum febre, & quibus multus periti sanguis ob refrigerationem: cætera sunt facilia.

*Aqua quæ cito calescit, & cito refrigeratur est tenuissima. 26. 5.*

QVorsum Hipp. de electione aquæ? cum aqua sit medicamentum refrigerans per se, & calefaciens per accidens, ea autem in praxi medica sit eligenda, quæ perfectius illos præstet effectus, hoc loco agit de ea aqua, quæ aptior est ad eos producendos qui in superioribus sunt enumerati: Talis ea est aqua, quæ facile penetrat ad partes interiores corporis sua raritate: hoc vero deprehenditur, leuitate: quo ergo leuior, eo rarior existit. Talem autem scribit esse Hippoc. eam quæ cito calefit, & cito refrigeratur: nam cum sit rarissima, facile suscipit actionem qualitatum primarum. Verum leuitas, ad pondus spectat: quod est artificiosum. Quare voluit Hipp probare eius leuitatẽ per effectus naturales. Quod cum sit verum, difficile tamen est id exequi, cum oporteat æqualem esse calorem, & æquale frigus, tum aquæ quantitatem. Quantitas aquæ facile mensuratur vase eodem: sed æqualitas coloris vix potest mensurari. Licet ergo vera sit propositio Hippocratis, difficilis tamen existit expe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

rientia,& probatio in particulari. Quare satius est ponderare duas aquas,aut plures eôdem vase contentas,& leuiorem eligere aut distinguere illas,vt Hollerius in Comment.huius Aph.

*Ex duobus simul doloribus, non eundem locum occupantibus, qui vehementior est alterius sensum obscurat.* 46.2.

PRęcipere intendit Hip. malo vrgẽtiori esse succurrendum,non neglecto altero. Nam, ab vrgentiori maius impendet periculum, fit autem vt maior dolor minoris sensum obscuret, quod in maiori specie doloris communi sensui oblata,minor contineatur, obiectum autem maius mouet facultatem magis, fit ergo, vt minor licet simul moueat, non videatur tamen mouere, vtrum vero maior dolor, minore ablato imminueretur? credo duos dolores coniunctos esse minores,vno illorum: similia namque similium adiectione augentur.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# DE PROGNOSI IN MORBIS.

*In acutis morbis, non omnino certæ ſunt mortis, aut ſalutis prædictiones. 19.2.*



Oc Aph. nos admonet Hip. vt cautè Inſtituamus prædictionem, propterea quod in ſingulis coniecturalis eſt, & vt plurimum incerta: præſertim in morbis acutis, ratio autem incertitudinis multiplex eſt, nimirum malignitas morborum, & varietas humorum: malignitas & feritas morborum aliquando latet aliquo tempore, deinde repente commouetur, ſubitoque interimit ægrum cum antea bene habere videretur: In varietate humorum decipiuntur medici? Quod quidem moueantur humores in incremento, aut in alio tempore, qui antea latitabant, quorum motu excitantur noua ſymptomata: & nonnunquam fiunt motus extraordinarii illorum humorum ad partes nobiles inopinatò. hi verò motus, vix poſſunt à medico percipi, incertitudinem etiam prognoſis demonſtrat, quod pleriq; ſuis ſignis coctionis in excrementis, morbo defunguntur: hoc poſſumus confirmare, ex hiſtoria, quam ſcripſit Gal. lib. de



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

præcognitione ex pulſibus adoleſcentis cuiuſdam, qui cum crudis vrinis morbo liberatus fuit. tum ex Hip. Qui lib. 1. Epid. ſcripſit Methonem cum ſignis lethalibus ſanitati fuiſſe reſtitutum: humorum etiam mixtio difficultatem parit in prædicendo. Quare cum varii peccent humores, calor naturalis varios producit effectus diuerſo tempore. Quis ergo in tali confuſione poterit certo prædicere Criſim, diem illius, cum diuerſa ſit humorum inclinatio, ad excretionem, & diuerſum coctionis tempus multa alia ſunt, quæ incertitudinem illius oſtendunt, de quibus ſcripſimus 1. lib. method prædicendi. Quocirca iure Hipp. pronunciauit, acutorum morborum, non omnino eſſe certas prædictiones ſalutis & mortis.

*Quibus adhuc iuuenibus aluus humida eſt, iis ſeneſcentibus ſiccatur. Quibus vero adhuc iuuenibus ſicca eſt aluus, iis ſeneſcentibus humectatur, laxaque fit. 20. 2.*

PErtinet hic Aph. ad prognoſticam, eſt namque de futura alui diſpoſitione. Præterea demonſtrat, quam parum tuta ſit prædictio: cum varia ſit corporum affectio pro diuerſa ætate, eidem námque iuueni, quia humida eſt aluus, poterit criſis facile ſuſcitari per fluxum ventris, in quo tamen ſene, ob exſiccatam aluum cõmoueri non poterit. iuuenibus vero aluus lubrica eſt propter bilem, per colido-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

chum in inteſtina delatam, quâ illa irritantur ad excretionem: tum propter ventriculi, ex calore nimio infirmitatem. Quoties enim iecur præcalidum eſt, quod ſignificatur in iuuenibus ex copia bilis, vētriculus eſt frigidus, propterea quòd diſsipatur eius calor naturalis, & partes quæ illius coctionem adiuuant extenuantur, priuantur itaque eo beneficio, quo retinebant calorem ventriculi ob denſitatem: tum ſuo proprio fouebat. iiſdem autem ſeneſcentibus aluus ſiccior redditur quoniam bilis miteſcit: & corrigitur ventriculi infirmitas, ætatis mutatione: quibus verò iuuenibus aſtricta eſt aluus, ob corporis raritatem, hepatis calorē, & raptum bilis ad ſuperiores partes, illis in ſenectute ſoluitur aluus, corporis denſitate, ob refrigerationem & ſiccitatem.

*Non ſi quid in morbis fiat præter rationem leuius, fidere oportet, nec turbari, ſi quid temere grauius, acciderit, Iſtiuſmodi enim multa ſunt aut incerta, nec durare diu aut perſiſtere ſolent.* 27. 2.

IN prædicendo ex ſignis, & ſymptomatis, quæ oriuntur in morbis, ſolet medicus ſententiam ferre, de periculo, aut ſalute, verum illa ſigna quæ ſunt prædictionis fundamenta, cum ratione oriri debent, id eſt ſecundum morbi, cauſarum eius, & naturæ conſtitutionem: morbi & cauſarum ea eſt conditio, vt ſymptomata



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

varia producant, vt plurimum terrifica, naturæ vero spe plena: quæ prętor hęc nascũtur, temere, & sine ratione orta dicuntur. Si ergo aliquid fiat leuius in morbis, id est, si melius habeat æger, quam morbus ipse & eius causa ferant, fidere non oportet, nec prognosim instituere, in ægri salutem, vt si quis fuerit vexatus prauis symptomatis, deinde illa quieuerint, sine vlla crisi, non est fidendum huic mutationi, quæ facta est subito, sine vlla ratione in melius: imo mors prædicenda, quod natura euicta morbi violentia, certamen deseruerit interceatque: Contra vero, si quid grauius acciderit ægro temere, præter statum morbi, qui iam superari, à natura videbatur, ob coctionem iam prægressam, non est formidandum, nec prædictio facienda in perniciem ægri, quod incerta sit, causam enim agnoscunt extra morbi, & naturæ statum: Quare durare & persistere diu non solent, vt si cocta materia morbifica, delirium superueniat, propter aliquos fumos calidos cerebrum ferientes, Hoc non debet terrere medicum, temere enim, & ex euentu contigit illud delirium sine magno ægri damno.

*Senes magna ex parte minus, quam iuuenes ægrotant. Semel autem diuturnis morbis correpti, fere vna moriuntur.* 39.2.

PErtinet ad prognoſim hic Aphoriſ. Si quis enim ſenex diuturno affligatur morbo, periculum mortis illi impendet, naſcitur autem ex debili actione, in qua materia diſſipari non poſſit à calore debili: rarius autem laborãt quam iuuenes, quia ſunt frigidi & ſicci: quare nec febribus nec inflammationibus laborant: in quibus eſt cauſa morborum acutorum præcipua.

*In quouis morbo rationem ipſam conſtare, ac valere, rectaque ſe habere ad ea, quæ ſumuntur, bonum, contra vero ſe habere, malum* 33. 2.

QVo plures facultates ſunt robuſtæ, eo res ægri meliore ſunt loco, mentis bona diſpoſitio ſignificat animalis facultatis robur, & bene ſe habere ad ea quæ ſequuntur, demonſtrat appetitiuæ facultatis vim: proindeque naturalis facultatis, Ergo cum illa adſunt in ægro, bonum aliquid futurum præſagiunt. Verum cur potius mentionem fecit mentis, & appetitiuæ facultatis quã aliarum? quia cum mens ægrotat dolorem ægri non ſentiunt: vt ſcribit Aphoriſ. 6. lib. 2. Quare omnis generis remedia contemnunt. Qui namque delirant non putant ſe morbo labora-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

re,ex quo omnis generis præſidia,vt plurimum reſpuunt, quamobrem intereunt. Præterea quando bene appetunt, nutriuntur:in nutritione,vitæ conſeruatio: neque omnem appetitum intelligit, vt caninum, ſed naturalem: ſic contra priuatione nutritionis intereunt: meritο ergò harum duarum facultatum, mentionem fecit præcipuæ.verũ ſi alterutra, malè habeat,à quanam maius periculum impendet? à mente læſa in vniuerſum, vt in acutis, & præſertim ſi delirium fuerit perpetuum,vt in phrenitide propter rationem allatam, tam quod fieri poſſit, vt cibi faſtidium à cauſa facile ſanabili proficiſcatur,citra vllum vitæ periculum Quę enim facilius curari poſſunt, ea minime periculi portendunt.In ſpecie vero & particulari, In pueris ægrotantibus, cibi faſtidium multo deterius eſſe conſueuit,quam delirium.Nam hi maxime diſſipantur: Quare niſi ſæpe cibos capiant cito intereunt. deliria vero in pueris fugacia ſunt:nec causã habẽt firmiter fixam,Quippe raro abundãt humoribus calidioribus:ſed à sãguine inflãmato excitantur: quæ deliria, qnoniam cum riſu ſunt coniuncta, minime moleſta eſſe ſolent,ex Hip.neq; in illis impediunt remediorum aſſumptionem In ſenibus contra, delirium peius eſt, cibi faſtidio, quod firmiter delirent:at parum diſſipentur difficiliuſque ſit eorum deliriis mederi,quam inappetentiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*In quouis morbo partes, quæ ad vmbilicum, & imum ventrem attinent crassiores esse præstat: harum siquidem extenuatio, & tabes mala. Sed ad inferiores quoque purgationes parum tuta. 35. 2.*

CRassæ partes nostri corporis dicuntur Hippocrati quando sunt boni succi plenæ, proinde æquales, molles, & doloris expertes, in hydrope namque & obstructionibus ventris inferioris videntur partes crassæ & extumescentes, vt re vera sunt, verum talem crassitiem Hipp. non intellexit, quæ contra naturam est, à causis morbificis natam, Sed naturalem, quæ laudabilis est in morbis pluribus de causis: significat enim illa crassities, illas optime nutriri, omnis autem facultatis operatio perfecta in bonis duci debet, præsertim cum illa sit, quæ morborum causas debellat: hæc demonstratio à causa petita perfectissima est, Hipp. nihilominus à cõtrariis ducit argumentum, hoc modo, extenuatio, & tabes partium, quæ ad vmbilicum pertinent, & ad imum ventrem mala est, ergo crassities naturalis illarum est bona, peiorque censetur macies illarum partium, quam reliquarum, quod venter proxime hepati nutritionis fonti, facillius nutriatur & melius quam aliæ partes: ex eo sequitur eius penuriã & extenuationem demonstrare, alimenti corruptionem. addit vero extenuationem illarum partium esse parum tu-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tam, ad inferiores purgationes, Quod emaciati musculi abdominis existant, & expultrix debilis, cuius robore in purgatione est maximè opus, ad expellenda ventris inferioris excrementa.

*Qui natura sunt valde crassi, breuiore vita fruuntur, quam graciles. 44 2.*

NAtura obesos, inquit, non habitu acquisititio, esse breuioris vitæ, quam graciles. In quo animaduerti debet distinctio crassi & obesi, crassus namque proprie ille est, qui carne abundat, & musculosus est. Obesus autem & pinguis, qui pinguedine luxuriat: hoc loco intelligimus proprie dictos obesos, qui frigidiore sunt temperamento, quam sit temperatus, vnde omnia eius vasa sunt angustiora, paucum habent sanguinem, & calorem, densa sunt cute: ex quibus accidit, vt obstructionibus sint obnoxij: & proinde febribus putridis, quæ originem ducunt ab obstructionibus: præterea facile suffocatur calor naturalis in illis, ob eius debilitatem, & pinguedinis copiam: in gracilibus omnia se habent contrario modo: quare verus est aph.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Minus periculose ægrotant ij, quorum vel naturæ, vel ætati, vel consuetudini vel tempori familiaris morbus est, quam quibus horum nullo affinis cognatusque existit. 34. 2.*

VEritas huius aph. subobscura est obscuritatis causa in eo consistit, quod excessus a suis similibus causis, facile augeatur, vnde sequitur maiorem fore morbum biliosum, in bilioso, quam in pituitoso, res tamen contrario se habere modo videtur, vt patet ex Aph. Quare in hoc aph contemplamur in ægrotante illo bilioso temperaturam calidam siccam, quæ a morbo bilioso exigua distantia separatur: Quamobrem biliosus leui de causa labitur in morbum biliosum: hi autem morbi minus sunt periculosi, quorum causa est minor, periculum namque in morbis pendet præcipue, a magnitudine causę. Expendamus itaque veritatem primæ partis aphorismi, minus periculose laborant per se, aut morbi violentia, hi, quorum naturæ, temperamento videlicet innato, morbus est familiaris, vel ætati, Quod ætas sit causa procatartica disponens ad facile morbos consimiles recipiendos, vel consuetudini, id est acquisitiæ naturæ, vel denique tempori: Quod ambiguum est. Nam si biliosus v. g. hyeme laboret morbo frigido humido, periculose laborabit, nam omnis recessus magnus à proprio temperamento arguit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

morbi magnitudinem. Atqui morbus pituitosus, maxime recedit à temperamento biliosi, ergo maxime erit periculosus. Quare tempus intelligit Hip. familiare & consimile temperamento ægroti, non morbo: æstas consimilis est & familiaris temperamento calido, & sicco, sicut hyems frigido, & humido: At dicet aliquis hyeme in frigido & humido homine, morbus frigidus & humidus periculosus erit, Nam quæ difficilius sanãtur periculosa existunt. Atqui hyeme difficilius sanantur, quam æstate. Quod scilicet aëris constitutio æstiua fauet remedijs, tanquam contraria morbo, & eius causæ: eo quod contraria contrarijs curentur, & similia similibus conseruentur. Respondemus hoc loco morbos non dici periculosiores difficultate sanationis, sed causæ magnitudine, nec difficilis sanatio indicat periculum necessario ratione temporis, cum illa noxa a tempore proficiscens, possit arte corrigi, efficiendo locum, in quo æger manet contrarium qualitate, morbo: Quare tota difficultas sanationis erit collocata in causæ magnitudine, quæ cum parua sit in frigido & humido, propter exiguum recessum, a naturali constitutione, periculum minimum existimabitur. Verum Gal. 5. de sanit. tuenda, raucedinem morbum senum esse dixit, & 40. Aph. lib. 2. raucedines & grauedines, in valde senibus coctionem non admittere, ergo falsus hic videtur aph. Respondeo Hip. in illo Aph. 40. loqui de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

morbis acutis, in quibus mortis periculum adest, & licet coctionem non recipiant, raucedo, & grauedo, tamen mortem non afferunt: ad hæc raucedo per se, id est ratione suæ magnitudinis in senibus non est periculosa, sed propter imbecillitatem senum, cuius ratione, quiuis morbus alius, in illis senibus suspectus est, dicamus ergo minus periculum imminere à morbis similibus, seu familiaribus, & proportionatis, quam à dissimilibus, & disproportionatis, tamen, tam morbi proportionales, quam dissimiles dupliciter considerari possunt, scilicet absolutè aut comparatè. Absolutè quidem, similes sunt illi, qui conueniunt, cum omnibus conditionibus, hoc est temperamento, ætati, consuetudini, & tempori, vt si pituitosus laboret, morbo frigido humido hyeme, in senectute, & assuetus cibis phlegmaticis. Tunc ille morbus, frigidus humidus erit proportionatus absolutè, & minime periculosus, quam alius morbus: Quoniam passio fit à minima causa, quæ cum sit exigua facile abigi potest. Absolutè vero dissimiles, sunt ijs contrarij, vt si pituitosus senex assuetus cibis phlegmaticis, hyeme laboret febre tertiana, quæ calida, & sicca existit, tunc febris tertiana erit absolutè dissimilis: & ideo periculosior propter contrariam causam maximam, difficiliusque sanatur. Comparatè autem similes sunt illi morbi, qui vnicam aut duas habent similitudines, vt si pituïtosus iuuenis, incidat in febrem ter-

tianam hyeme: Tunc febris tertiana erit familiaris respectu tantum iuuentutis. & si senex biliosus, afficiatur æstate morbo calido sicco, tunc morbus calidus siccus appellabitur familiaris, respectu duarum rerum: nempe bilis & æstatis: comparate dissimiles, contrario se habent modo: tamen cum magis & minus sunt in comparatis, comparatio etiam debet esse vnius morbi siue excessus, cum duabus naturis contrarijs, non autem duorum morborum contrariorum cum vna natura: notandum est tamen vt omnia sint paria in magnitudine causæ, symptomatum vehementia, & curandi opportunitate. Ergo vera erit hæc sententia Hipp. accipiendo morbos absolute, aut comparate, cæteris paribus, non quod in se familiares morbi non sint periculosi, sed comparatione facta cum dissimilibus, hoc est comparando morbos similes absolutè, cum dissimilibus absolutis & respectiui similes, cum dissimilibus respectiuis, & tunc morbi similes dicuntur minus periculosi, quàm dissimiles, vt v. g. sint duæ febres ardentes, diuersis temporibus procreatæ, vna hyeme, altera æstate, febris hyberna, erit periculosior æstiua, quia in illa, causa est magis violenta, & minus cognata, in hac, minus violenta, & magis familiaris ratione temporis, minus igitur periculose laborant ij, quorum naturæ, vel ętati, vel consuetudini, vel tempori familiaris est morbus, quam quibus horum nulli affinis cognatusque existit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# PROGNOSTICA

DE MORBIS ET SYMPTOMA-
matis, quæ in capite, aut à capite
ortum ducunt.

*Capite dolenti, & vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel sanguis per nares effluens, morbum soluit.* 10. 6.



Rognosticum est pertinens ad perfectam Crisim quæ contingit in doloribus vehementioribus capitis inueteratis, vel recentibus, postquam enim humores qui extiterunt causa doloris acerbi, a natura superati sunt, vi expultrice è cerebro detruduntur, per vias commodas, commodæ verò sunt proximiores, & peruiæ, nares, os, per foramen infundibuli, & aures per quas difficillime fit excretio: via namque & ductus sunt obliqui & stricti adhæc tympanum, est exquisitissimi sensus & sua natura densum, quod sit membraneum. Defluit autem sanguis, cum dolor nascitur ex phlegmone, aut pus, quando materia suppurata est, vel aqua, cum materia liquida existit, & pituitosa aquea, quæ subigi quidem potuit, non tamen in pus mutari, quæ cum ita sint

medicus imitatione naturæ nitatur dolores capitis ſanare, ſanguinem detrahendo, ex venis quæ capiti inſeruiunt, aut cucurbitulis, aquam verò errhinis & maſticatoriis, puris vero confectionem iuuabit corroborantibus cerebrum.

*Qui valentes, capitis repente doloribus corripiuntur & protinus muti fiunt, & ſtertunt, Intra ſeptem dies intereunt, niſi febris interuenerit* 51. 6.

HIp. in Aph. morbi ſpeciem non detexit, quam tamen deſignat, ex ſymptomatibus, nempe doloribus capitis repente natis mutitate ſiue aphonia, & ſtertore, Gal. in Comment putat hæc ſymptom. ſignificare fortem apoplexiam, verum apoplexia fortis eſt incurabilils, ex Hip. Aph. 42. lib. 2. At hæc affectio, quæ deſcribitur ab Hip. ſanabilis eſt, à febre ſuperueniēte. 2. fortis apoplexia intra paucos dies interficiet hominem, Hæc vero ſeptem dies durat. 3. in apoplexia fit ſenſus priuatio, proindeq; doloris, quod dolor ſit ſenſus triſtis. Deinde licet febris frigidis morbis, remedio eſſe poſſit, tamē apoplexiā ſoluere fortem, non poteſt, parua namque febris, non eſt potis diſſoluere materiam frigidam, contumacem, vehemens autem diſſipat calorem debilem, qui ſupereſt in apoplectis: ergo non poteſt affectus ab Hipp. deſignatus fortis eſſe apoplexia: nec debilis quod in ea non ſit dolor, oportet

ergo inueſtigare, quiſnā affectus ab Hipp. intelligatur, dolor ab intemperie naſci poteſt ſine materia, at doloribus adiungitur aphonia & ſtertor, quæ ſine materia procreari non poſſunt, obſtruente ductus, per quos ſpiritus communicantur organ's vocalibus, & reſpirationi dicatis, quinam autem ſit ille humor coniici poteſt, ex repentina doloris commotione, quæ ſuſcitari non poteſt, niſi ab humore calido, apto ad obſtructiones producendas. Qualis eſt ſanguis, aut flatus, diſtentione dolorem generans. Quæritur vero de loco in quo, eiuſmodi humor, aut flatus colligitur. Hollerius putat fieri collectionem illius in venis pectoris colli, & plexus choroidis ab atra bile, pituita, aut flatu commotis. Duretus vero 1. à flatulento ſpiritu caput feriente producit affectum, à quo dolor magnus, derepente procreatur: deinde multam pituitæ affluentis copiam promouet, vnde obmuteſcentia ſuboritur, propter obſtructionem inſtrumentorum vocalium. Secundum horum authorum ſententiam ſuſcitatur hic affectus in capite & proximis partibus ab obſtructione, cui febris remedio eſſe poteſt, diſſoluendo quæ craſſa ſunt, & liberando obſtructa. Moriuntur verò intra ſeptimum diem propter morbi magnitudinem. In hoc affectu alienum non fuerit à ratione niti, febrem excitare moderatam, conuenientibus medicamentis quo imitatione naturæ ſanari poſſit tantus affectus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Si ebrius quispiam derepente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut qua hora crapula soluitur, vocem recuperet. 5.5.*

GEneratur hic affectus à solis vaporibus calidissimis, & densis, densi coniiciuntur, quia pariunt obsttuctionem instrumentorum vocalium, sensus, & motus. Etsi enim vox actionum omnium, à voluntate proficiscentiũ sit præcipua, ex huius tamen noxa Hipp. intelligit, reliquarum actionum vitium à voluntate emanãtiũ. calidus est vapor quòd intra 24. horas aliquando dissipetur, quique nisi dissoluatur, producat conuulsionem mortalem. Calor illius etiam colligitur ex febre, interdum excitata. Tum quod à vino generoso originem ducat, huic affectui si supueruenfat febris, dissoluuntur illi vapores & humores ab illis nati in cerebro, cuius dissipationis beneficio sanantur: euadunt etiam, ope, & beneficio caloris naturalis dissipantis illos vapores. Signum autem euasionis est redintegratio vocis: quando crapula soluitur, mortis vero præsagium, conuulsio nata antequam soluatur.

Propter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Propter plagam in capite acceptam, ſtupor, aut deſipientia, malum*, 14. 7.

DVplex ſtupor contingit in capitis ictu, vnus fugax, qui ex leui cerebri concuſſione ortum ducit, reuocante ad cerebrum ſpiritum animalem, vnde reliqua membra manent, cum imminuto motu, & ſenſu, paruo temporis ſpatio: Alius eſt firmus, aut diuturnus, qui perficitur ex reuocatione ſpirituũ animalium in cerebrum propter læſionem magnam, quam recepit, idque naturæ prouidentia, quæ eo ſolet ſpiritus reuocare, aut mittere, vbi eſt magis opis indigens: perſeuerat autem ſtupor, Quod læſio nõ diminuatur, deſipientia vero aut loquax eſt, quæ ab inflãmatione aliqua cerebri naſcitur, à vulnere orta: aut geſticuloſa ſine ratione, cum debilitate & infirmitate mentis, propter morbum frigidum cerebri: atqui perſeuerans, ſtupor, & deliriũ, morborum capitis grandium ſunt indicia: Qui omnes periculoſi iudicantur. ex vulnere aut ictu capitis ſtupor diuturnus, & deſipẽtia, malum.

*Quibus cerebrum occaſione aliqua vehementer concuſſum fuerit, mutos fieri protinus eſt neceſſe*. 58. 7.

CVm Aphoniæ ſint plures cauſæ, hoc loco cõtingit ex retractione ſpirituũ animalium ad cerebrum, ob violentem



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

concussionem illius. Deserunt itaque instrumenta vocalia, quam ob causam voce priuantur ij, quorum cerebrum fuit vehementer concussum, ea vti dictum est, non accidit sine læsione sensus & motus, pertinet autem hic Aph. ad prædictionem. propterea quod si diuturna extiterit aphonia, mala censetur ex superiori Aph. sin autē fugax & læuis, non est formidanda.

*Quibus cerebrum syderatum est, intra tres dies intereunt. Si verò hos superauerint, sani fiunt.* 50. 7.

SYderatur aliqua pars, quando veluti de cœlo tacta, nigrescit, & intermoritur, sed eam affectionem præcedit gangrena quæ veluti quoddam principium est syderationis, & sphaceli, in hoc Aph. nomine syderationis, non intelligit syderationem perfectam, in qua nulla vitæ salus est sperabilis: sed incipientem, quam gangrenam, necrosin & mortificationem vocant: itaque cum gangrena, & incipiens necrosis substantiæ cerebri, cito desinat in sphacelum & syderationem, peribunt intra tres dies, quos si effugerint, significatur necroseos sanatio, finitur autem morte, aut salute intra tres dies quoniam gangrena affectus sit simpliciter peracutus, aut acutissimus, qui tertio die vt plurimū solet finiri. Dignoscuntur vero hi affectus, ex consideratione membranæ durę cerebrum obtegentis: si namque ea nigrescere, aut

durescere cœperit gangrena afficitur. Cum vero nigrescit omnino, & viruiento ichore difluit, syderata est.

*In quo morbo, somnus laborem adfert, lethale est: si vero iuuat, lethale non est.* 1. 2.

THeorema est verissimum, illud exitiale censeri, si vnde plurimum auxilij spectatur, inde symptomatum malorũ incrementum fiat. Atqui ex somno expectantur refectio totius corporis, reparatio spirituum vigiliæ tempore dissipatorum, Pepasmus materiæ morbificæ: Si ergo somnus nihil tale producat, Sed potius iactationem, delirium, incremẽtum symptomatum, quæ antea aderant, malus & perniciosus censeri debet, hæc tamen, non sunt audienda sine distinctione: Nam si quo tempore aliquid potest conferre, & non prodest, malum est. Quare videndum, quo tempore possit conferre somnus, in quo si noceat malus existimandus est. Confert somnus in declinatione, aut remissione morbi, quare si in illis maxime noceat malum. Verum in principio paroxismi febrium, in perturbatione critica, dum adest inflammatio partis alicuius, nocet semper: Quo circa æque hic malus censeri non debet, atque in reliquis temporibus: quod symptomata terrifica, in illis non tam sequantur somnum, quam affectiones illas: quare lethalis somnus non est iudicandus, de contrario vero sequitur



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

contrarium, vt ſi iuuet non ſit mortalis.

*Vbi ſomnus delirium ſedauerit, bonum. 2. 2.*

QVæ enim vitijs facultatum ſunt remedio, ea bona cenſeri debent: atqui delirium eſt læſio facultatis imaginatiuę, cui ſi ſomnus remedium adferat, bonus eſt. Sedat vero delirium ſomnus, humectando cerebrum, & mitificando humores acriores, qui ſunt cauſæ delirij.

*Somnus, vigilia, vtraque ſi immoderata exiſtunt, malum. 3. 2.*

OMne nimium, & excedens naturæ inimicū, ex Aph. Hipp. l. 2. ex quo ſequitur ſomnum & vigiliam, ſi modum exceſſerint, mala eſſe, & naturæ noſtræ inimica. Somnus moderatus ille dicitur, qui a cauſis naturalibus perficitur, vapore ſcilicet, & anatymiaſi benigna, & a calore moderato, quique durationem habet moderatam, vt ſeptem & octo horarum, facileque excutitur, excedens vero diuturnior eſt, & difficile euigilatur, qui eo detinetur. Quia ergo per eum ſignificantur cauſæ præter naturam in parte principe, cerebro nempe, cum facultatis animalis noxa, malus eſt iudicandus, vigiliæ etiam excedentes malæ, quod denotent intemperiem cerebri ſiccam, & calidam, vt in febribus, vel frigidam, & ſiccam, vt in melancholicis vigilibus, præterea anathymiaſeos inopiam,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

vt in famelicis, bilis in cerebrum translationem, vt in delirijs, & phrenitide, quæ omnia mala sunt, tum ex effectis, quos producunt, quippe cerebrum siccant, corpus debilitant & crudos humores generant, & omnem actionem impediunt dissipando spiritus: vt vero confirmaret specificã propositionem scribit 4. lib. eiusdem: non satietas, non fames, neque aliud quidquam, quod naturæ modum excedat, bonum. scribit enim alio loco, labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia mediocria.

*Apoplexiam vehementem nullo prorsus modo: debilem ægrè curaueris. 42 2.*

APoplexia multis constat symptomatis, nempe sensus, & motus voluntarij priuatione, oblæsione princpium facultatum, & difficultate respirationis: ex illis symptomatis conijcitur eius magnitudo, aut paruitas, præsertimque ex differentijs difficultatis respirationis. Nam in reliquis symptomatis, quę in priuatione consistunt nulla differentia potest constitui secundum gradus: relinquitur ergo, vt captetur ex difficultate respirandi. In magna ergo apoplexia stertor est maximus, rarus, & cum spiritu frigido: in debili non ita magnus, celerior, & spiritus calidus: vehemens autem apoplexia incurabilis est, ob causæ magnitudinem, nimirum magnam obstructionem ventriculorum & substantiæ cerebri, qui nullo artificio ea li-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

berari possunt. In debili, cum mediocris sit obstructio, liberantur aliquando ægri: non tamen sine difficultate: de hac specie potissimum intelligendus est Aph. non & alijs quæ aut ab interceptione venarum contingunt, aut ab affectione inflammationi simili.

*Epilepsia laborantes iuuenes cum loci, temporum, & victus, tum etiam ætatis mutatio liberat.* 45. 2.

HIc aphorismus videtur potius ad curationem epilepsiæ spectare, quam ad prædictionem: tamen, quia mutatione locorũ, temporum, victus, & ætatis, nos speramus epilepticos sanatos iri ad prædictionem referetur, omne enim effatum de re futura ad præsagitionem pertinet. Aphorismi vero sensus talis est, cum aliquis puer, aut adolescens, morbo comitiali laborauerit: Is ad iuuentutem accedens liberabitur, mutatione loci, temporum, victus, tum maxime ætatis: quæ interpræ-tatio est Holerij valde ambigua: videretur enim velle, hic non posse sanari pueros epilepticos, nisi peruenerint ad iuuentutem, atque in ea ad mutandum locum, & victus rationem, quod videtur à ratione alienum, oportet enim omni artificio eniti. Vt quam citissime fieri poterit curentur, & si non possint perfecte sanari, disponantur tamen ad sanationem, vt cum ætas iuuenilis accesserit facilius mutatione ætatis

curentur: Quare loco iuuenum ſcribendum puerorum, præſertim cum vt ſcribit idem Hollerius, Hip. lib. de aëre, locis, & aquis, & 6. epid appellat epilepſiam morbum puerorum, quia illis ſit familiaris, propter cerebri debilitatem, excrementorum copiam, & victus rationem immoderatam: in cerebro enim, debili corpore, & cæteris frigidis & humidioribus, facile producitur cerebri ventriculorum & ſubſtantiæ leuis obſtructio, a qua comitialis morbus ortum ducit. Cum ergo contrariorum contraria ſint remedia ſequitur, vt mutatione facta in contraria, affectu illo liberentur. Oportet autem locum, & calidiorem, & ſicciorem eſſe, & licet temporum mutatio non ſit ſita in noſtra poteſtate, poſſumus tamen ex ea prædicere futurum, vt eius beneficio melius habeat æger, victus etiam inſtituendus calidus ſiccus, maxima verò ſpes euaſionis collocatur in mutatione ætatis propter effulgeſcentiam caloris innati, à qua humores illi ſuperflui frigidi & humidi coquuntur, & diſſoluuntur.

*Epilepſia ante pubertatem, amotionem recipit, poſt vigeſimum vero quintum annum, fere comitatur ad mortem vſque. 7. 5.*

AD 25. annum porrigitur pubertas: in qua ſpes ſumma ſanationis epilepſiæ eſt poſita, ob rationem iam dictam: ſi vero poſt vigeſimũ quintum annũ epilep-

sia aliquis prehendatur vix sanationem recipiet: Dummodo laboret epilepsia per se, non per consensum. Nam ex Aph. 34. lib. 2. minus periculosè laborant, quorum naturæ, &c. ergo cum minus conformis sit ætati iuuenum, epilepsia periculosius laborabunt. Quocirca fit, vt ad mortem vsque eos comitetur, Hollerius tamen scribit in declinatione ætatis solui aliquando: si a contrarijs causis ætatis illius originem ducat.

*Conuulsio ab helleboro, lethalis.* 1. 5.

Conuulsio à repletione, vel ab inanitione fit, vt & singultus, ex Hip. Aph. 39. libr. 6. Hanc sententiam omnes admittunt: Sed in modo & parte affecta differunt. Gal. namq; existimat conuulsionem esse motũ iniussum earũ partium, quæ nostro iussu mouentur. Erastus in thesibus de conuulsione putat esse motum iussum, sed deprauatum à phantasia læsa, neque perfici a repletione, aut inanitione neruorum, vel musculorum, sed ab inanitione, aut repletione cerebri, de qua rescripsimus lib. de sympt. causis, hic vero Aphorismus simpliciter sumptus, falsus esse videtur, vt doctissimus scripsit Hollerius: Quare distinctione eget, excitatur autem conuulsio ab helleboro, aut alio vehementi medicamento, aut dum purgatio fit, aut postquam perfecta est. Dum fit commouetur conuulsio, aut acrimonia medicamenti, aut

ti, aut materię attractę in ventriculum, quâ malè afficitur eius superius orificium, & conuellitur. Hæ omnes conuulsiones sunt sanabiles: Nam eiecto medicamento, aut humore molestante, per vomitum, aut secessum quiescit conuulsio: Si vero sequatur purgationem immodicam, lethalis est: Quod contingat ab extrema siccitate neruorum secundum Gal. aut cerebri, vt censet Erastus, a priuatione autem, habitus denuo non comparatur.

*Conuulsio à vulnere lethalis. 2. 5.*

EX vulnere multis modis conuulsio nascitur, aut enim propter largam sanguinis effusionem exsiccatur cerebrum, a qua conuulsio lethalis: omnis enim conuulsio ab extrema siccitate, lethalis fuit dicta: aut propter læsionem neruorum, vel tendinum, quibus consentit cerebrum: læduntur autem nerui, aut quia sunt vulnerati, aut inflammati, aut irritati, à pure, sanie, ichore, quæ exitium non habent, hæ omnes conuulsiones non sunt lethales, remedijs enim adhibitis vt plurimum sanantur.

*A copioso sanguinis fluxu, conuulsio, aut singultus malum. 3. 5.*

NOn dixit lethale, quia facile possumus eius effluxui mederi in principio cõuulsionis: ante quam ventum sit ad extremam siccitatem: singultus etiam malus est, à copioso sanguinis fluxu propter eandem rationem.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Purgationi immodicæ, conuulsio aut singultus superueniens, malum. 4. 5.*

HIc Aphorismus fuit iam explicatus.

*Si muliebri profluuio, conuulsio, aut animi defectus superueniat, malo est. 56. 5.*

NAm ab inanitione extrema, ista symptomata proficiscuntur, quæ mala fuit iudicata.

*Qui tetano corripiuntur, in quatuor dies pereunt: si vero has effugerint incolumes euadunt. 6. 5.*

TEtanus est in numero morborum acutissimorum: qui tertio, aut 5. die solent finiri, morte, aut salutari crisi: si vero hos effugerint nimirum remedijs apposite adhibitis, aut crisi, aut febre superueniente, incolumes euadunt, expurgata materia, aut dissoluta. Intelligitur autem Tetanus à repletione natus, febre vero curari tetanum, scripsit Hipp. Aph. 57. lib. 4. cum inquit, qui conuulsione, aut distentione affligitur, si febris successerit morbum soluit, dissipatur namque materia distentionis & tetani, à febre succedente, ob eamque causam curatur distentio: quare Hipp. Aph. 26 lib. 2. scripsit febrem conuulsioni superuenire satius est, quam conuulsionem febri: Nam superueniens

discutit materiam: si vero succedat febri conuulsio, signum est eam nasci ab inanitione: At conuulsio ab inanitione est lethalis. ob eandem rem. Aph. 13. lib. 7. scribit Hipp. propter ardores vehementes, conuulsio, aut tetanus, malum: ardores externi, vix tales esse possunt, vt tetanum a siccitate inducant, nisi sudore effuso, mirum in modum exsiccaretur corpus. Quare Philoteus per ardorē intelligit febrem ardentem, cui quando succedit conuulsio, mala est censenda ex Aph. superioribus.

*Deliratio, quæ cum risu fit, tutior: quæ vero studio adhibito, periculosior. 53. 6.*

HOllerius ex Gal. huic Aph. addendum existimat, quæ vero cum temeritate. periculosissima nomine delirij intelligit Hipp. omnem mentis alienationem continuam, quæ tribus gradibus distinguitur, designatis triplici genere symptomatum, risu, studio, & ferocitate, prout tres in corpore denominantur humores, sanguis, succus melancholicus, & atrabilis: delirium namque cum risu, à vaporibus sanguineis ortum ducit: cum studio, à melancholicis: sunt enim melancholici taciturni, & cogitabundi: ab atrabilarijs, cum ferocitate, propter adustionem. Sanguis autem, a quo sanguinei vapores efferuntur in cerebrum, benignus est humor, qui nullum periculum procreare potest, quatenus delirium parit: succus melan-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

cholicus mediam naturam tenet, inter sanguinem & atrambilem: quare periculosius est delirium ab eo natũ, quam a sanguine, minus tamen periculosum, quàm ab atrabile, a qua delirium periculosissimũ nascitur, ob malignitatẽ humoris naturę aduersissimi: fermentat nãq; & corrodit partes, in quibus est, tãtæque malignitatis perhibetur a Gal. lib. de atrabile, vt nullum animal possit gustare sine periculo.

*A sanguinis profluuio desipientia, aut etiam conuersio, malum. 9.7.*

DE conuulsione, à profusione sanguinis antea dictũ est, nunc de desipiẽtia à profluuio sanguinis nata, verba faciamus. Quando magna copia effunditur sanguinis, dissipantur spiritus: destituta itaque anima suo instrumento aberrat in sua operatione, vnde deliriũ accidit. Atque omnis dissolutio spirituũ mala est, ergo à sanguinis profluuio desipientia malum.

*Ex multa potatione, rigor, & desipientia malum 7.7.*

ARistoteles problemate quinto lib. 3. quærit cur temulẽti rigeant: ad cuius propositi enodationem, necessaria est rigoris à tremore distinctio, & separatio: tremor namque est motus membrorum præter naturam, natus a debilitate facultatis motricis, partis trementis, & pondere

ipsius. Est nãque in tremore mutua successio, roboris attollentis facultatis, & ponderis deprimentis: fit autem debilis facultas terrore, quia spiritus ad cor retrahũtur, frigore, quod extinguantur, & intro repellãtur: à Venere nimia, dissipatis & exhalatis spiritibus, & ab alijs causis. Rigor vero est concussio corporis, a re molestãte partes corporis natus, quæ sese colligunt ad expulsionem rei molestæ. Vnde motus concussiuus: Aristoteles intellexit in explicatione problematis de tremore, quod existimet frigus ab excedenti vini copia generari in corpore, propter dissipationẽ caloris innati, scribit namque vinum calidũ, corporis caliditati naturali cõiunctũ, efficacius consumit ea, quæ calor naturalis & proprius, habet pro alimento, quam ipse calor insitus: deperdito ergo calore innato propter dissipationem humidi radicalis, quod est caloris innati pabulum, frigescit corpus, & tremit: probat autem eam propositionem, quod temulenti incidant in morbos frigidos, & hydropẽ, paralysim, apoplexiam, epilepsiam, & alios similes. Liebautius comment. in hunc aph. inquit, cum vinum omnium celerrime nutriat sua copia, vsque adeo venas replet, vt cogat naturam eius in modicam abundantiam expellere, vnde rigor. Verum supponatur multa potatio quæ facile non potest superari a natura, & in alimentum conuerti. Præterea si rigor commoueretur propter eam rationem, vt plurimum copia illa san-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

guinis expelleretur per sudorē, per quem fieret temulentiæ dissipatio. Adde quod rigor excitatur, ab humore pungente, & vellicāte partes sensibiles, alimentum vero a vino multo procreatū nec acre neq; pungens est, ergo illa opinio vera non est: quā ob causam, Aristotelis ratio præferenda; contingere in temulentis tremorem à perfrigeratione, per debilitationē caloris innati, propter dissipationem humidi radicalis. omnis vero debilitas caloris innati, non tantū mala, sed funesta censeri debet. delirium autem cōtingit in larga potatione vini, ab inflammatis spiritibus, ergo à multa potatione rigor & delirium simul non tantum mala, sed funesta.

*Melancolicis, & nephriticis, hæmorrhoides supervenientes, bono sunt.* 11.6.

*Insanis si varices seu hæmorrhoides supervenerint fit insaniæ solutio.* 21.6.

ILli Aph. fuerunt explicati cap. de reuulsione.

*In mania, difficultas intestinorum, vel aqua intercutem, vel ecstasis bonum.* 5.7.

OMnis permutatio morbi è parte principe in morbū partis ignobilis, per metastasim siue metaptosim facta, nimirum priore morbo cessante, in bonis ducēda; atqui maniā, morbi cerebri in difficultatem intestinorum,, & hydropē salutarem, quod fiat, sine iecoris saguificæ

facultatis læsione, est huiusmodi, ergo in mania difficultas intestinorũ, aut hydrops bonum. verum mentis alienatio ea lege bona dici non potest, quocirca aliã ratiocinationẽ inire oportet, hoc modo: ea quę significant morbum mox solutum iri bona censenda. Atqui exthasis maniæ succedẽs id significat, quod scilicet, sit sparsa maniæ materia criticè, per totũ cerebrum, vnde nascitur maior mentis alienatio, cum bono successu futuro, ergo in mania exthasis bona est: quàm vero sit ambignum exthasis nomen, lege apud Hollerium.

*In morbis melancholicis ad hæc suspecti, humorum decubitus, vel enim apoplexia, vel conuulsio vel mania vel cæcitas significatur. 56. 6.*

HIc Aph. superiori contrarius videtur, quod decubitus humorum ad partes corporis periculosos esse prænunciet. Superior vero translationes, quæ fiunt, per decubitum humorum, è partib⁹ in partes, salutares enunciarit. Respondemus decubitus per metastasim factos è partibus nobilibus, ad partes ignobiles salutares dixisse: mutationes autem morborum, quæ fiunt in partes nobiles è nobilibus, aut ex ignobilibus in principes, sunt periculosę, tum etiam illæ quæ fiunt è particula alicuius partis nobilis, in particulã eiusdem: vt è partibus cerebri in partes, eiusdem facta translatione, apoplexia nascitur aut mania, aut conuulsio, aut furor, aut dela-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

bante materia in oculos, cæcitas: decubitus ergo tales sunt periculosi.

*Opthalmia laborantem, alui profluuio corripi bonum. 17. 6.*

HIc Aph. fuit expositus cap. de reuulsione.

*Sed in somnis etiã, an de oculis aliquid subappareat, spectare oportet: Nam si quid, non exacte commissis palpebris, de albo appareat, modo non ex alui profluuio, aut medicamenti potione accidat, malum signum est, & valde perniciosum. 52. 6.*

IN prognosticis additur, nec ita dormire cõsueuerit. Illa namque albedo subapparens, significat musculos oculum claudentes, non posse coniungi: accidit autem illud, aut imbecillitate facultatis musculos mouentis, aut a conuulsione per inanitionem nata: facultatis vero cuiusque debilitas perniciosa. Item conuulsio à siccitate. Rogandi ergo in tali symptomate ægri num ita dormire consueuerint: aut hoc contingat propter vacuationem immoderatam, sponte aut arte suscitatam: debilitatis vero, aut conuulsionis signa petuntur à causis quæ illas possunt generare & ex aliarum facultatum animalium, vitalium, & naturalium infirmitate: hoc autem cum sit periculosum in omnibus, in pueris tamen maximè.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Distillationes, & grauedines coctionem in valde senibus non admittunt. 40. 2.*

VAlde senes siue decrepiti, pauperie caloris innati laborant, omnis vero coctio, siue pepasmus materiæ morbificæ, fit à calore robusto, quantoque frigidior est materia, tanto difficilior est eius coctio: Grauedo autem, & raucitas in decrepitis, a pituita excitantur valde frigida, mirum ergo non videatur, si in valde senibus coctionem non admittant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# PROGNOSTICA
## AD MORBOS PECTORALES ſpectantia.

*Quibus ex angina ad pulmonem mali ſit conuerſio : hi intra ſeptem dies moriuntur : ſi vero hos effugerint, purulenti euadunt.* 10 5.



Ngina inflammatio eſt muſculorum laryngis internorum, vel externorum, aut omnium ſimul : dignoſcitur ex difficultate reſpirandi, & deglutiendi: ſi materia anginæ fuerit conuerſa in pulmones per metaſtaſim, relicto priore loco, quæ tranſlatio cognoſcitur ex propriis ſignis peripneumoniæ, aucta nimirum difficultate reſpirandi, grauitate ſuborta in partibus internis pectoris, & rubore ſaturato genarum, moriuntur ægri intra dies ſeptem, numerando à die tranſlationis, quod morbus acutus acuto ſuccedens lethalis ſoleat exiſtere, quod ſi effugerint, rumpitur pulmonum abſceſſus, & effunditur in thoracis capacitatem, vnde empyema ſuboritur, rumpitur vero poſt ſeptimum diem, quia pure facto intra ſeptem dies, natura molitur excretionem, quam cum non poſſit moliri per anacatharſim : propter debilitatem partium pe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ctoralium, & infirmitatem facultatis animalis motricis, effundit pus in thoracis capacitatem, facitque Empyema: si vero materia transferatur in pulmones per epigenesim, nullo modo seruantur: Omnis enim epigenesis in his morbis mortalis est.

*Qui gibbi ante pubertatem fiunt, ex asthmate moriuntur.* 46. 6.

Gibberos intelligit Hipp. per luxationem vertebrarum thoracis, nam qui gibbi sunt, luxatis vertebris lumborum, ex asthmate statim non moriuntur, quia in illis non imminuitur capacitas pectoris, neque gibberi propter luxationem vertebrarum pectoris, post pubertatem, quod ampla sit iam capacitas pectoris, intereunt ex asthmate: Quod vt intelligatur animaduertendum est pulmones, habere suas venas, per quas nutriuntur, & augentur: quæ à gibbositate metaphreni, impediri non possunt à suo officio. Pectus vero cum nutritur a venis diffusis per vertebras metaphreni, non potest ab illis bene nutriri, & augeri, quia comprimuntur à vertebris luxatis: Quocirca pulmo maior fit proportione, ipso pectore, ex quo sequitur pulmones comprimi, nec libere moueri propter angustiam thoracis. Quamobrem si asthmate laboret is, qui ante pubertatem gibber fuit factus, suffocetur oportet, & moriatur, respiratione namque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tandem priuatur, cuius priuatio repentina mors eſt.

*Angina correpto ſi tumor appareat in collo, bonum: foras enim morbus exiſtit. 37. 6.*

OMnis namque motus humoris morbifici à partibus internis ad externas, bonus, cum enim tumor apparet in collo anginoſi, huiuſmodi fit motus. Ergo angina correpto, ſi tumor appareat in collo bonum: modo id fiat per metaſtaſim, non per epigeneſim.

*Ab angina habito tumor, & rubor in pectore ſuperueniens, bonum: extra enim vertitur morbus. 49. 7.*

NOn habet hic Aphoriſmus diſſimilem explicationem a ſuperiori.

*Si febricitanti, nullo exiſtente in faucibus tumore, ſtrangulatio ſubito accidat, lethale eſt. 34. 4.*

VT ſignificet ſuffocationem proficiſci ab angina, ſcribit, ſi febre detento: (Nam febris eſt perpetua comes omnis inflammationis internæ,) & nullo apparente in faucibus tumore, neque externo, neque interno, vt locum affectum oſtendat, ex quo ſequitur febrem continuam cum ſtrangulatione ſignificare anginam, cum vero, angina ſit interna, aut ex-

terna, hoc loco internam ſubintelligit, quę latet in muſculis internis laryngis, ſine vllo tumore apparente in faucibus: eſt autem illa ſtrangulatio lethalis, quod in febre ſit ſumma neceſſitas reſpirandi, propter vſum auctum: & propter anginam internam, extrema difficultas ducendi ſpiritum.

*Si febre detento, repente collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo exiſtente tumore lethale.* 35. 4.

INtorquetur collum aliquando à tumore vnius partis colli, vt videre eſt, in parotidibus, & ſtrumis, verum de illa contortione non loquitur Hipp. cum dicat nullo exiſtente tumore in collo: neque de angina proprie dicta, nimirum inflammatione muſculorum laryngis, quod ſcilicet cum difficultate deglutiendi adſit in ea reſpirandi difficultas. Quare intelligat oportet de inflammatione œſophagi, aut luxatione vertebræ colli: adeſt tamen aliqua difficilis reſpiratio in phlegmone œſophagi, propter tracheæ arteriæ communitatem: lethalis autem eſt quod inflammatio illa non antea ſanari poſſit, quam æger pereat alimenti defectu, aut reſpirandi: vertebræ verò luxatio eſt omnino incurabilis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Strangulati, aut suffocati : nondum tamen mortui, ad se non redeunt, quibus circa os spuma collecta apparuerit.* 43.2.

QVia, qui laqueo suspenduntur mortui non sunt, suffocatio namque fit in tempore : non potest enim intercipi spiritus in temporis puncto, cum transpiratio fiat per poros vniuersi corporis. Ergo qui strangulantur moriuntur, nec mortui sunt, & cum mortui non sunt, possunt reduci ad vitam: non tamen omnes. Signum autem quod non possunt pristinæ vitæ restitui est, spuma circa os collecta, ea namque significat dissipationem spirituum, à nimia agitatione, & calore, cum quibus humores miscentur violenter : pertinet autem ad prognosticum quia ex pręsentibus futurum aliquod pronunciatur, nimirum ex priuatione spumæ in strangulatis spes restitutionis in pristinum statum.

*Pleuritide, aut peripneumonia detento diarrhæa interueniens, malum.* 16.6.

DIarrhæa aut est symptomatica, in pleuritide, & peripnenmonia, aut critica : illa significat læsionem partium ventris inferioris, nimirum Iecoris & lienis, perindeque earum debilitatem, Quare cum animalis facultatis læsioni in difficili respiratione constitutæ, & vitalis, ab affectione partium vicinarum proficis-

centi, accedat naturalis facultatis infirmitas, res ægri male se habent, quo enim plures facultates in vitio sunt, eo res ægri peiore sunt in loco: si critica sit, facta per translationem materiæ morbificæ, è pectore in intestina, est salutaris. dignoscitur autem symptomatica, quod cruda sit materia extra diem criticum nata, nec ægri melius habeant, imo damnis augeantur: in critica vero, materia cocta est, die critico excitatur: & ægri melius habent.

*A pleuritide peripneumonia, malum.* 11 7.

POtest pleuritis mutari in peripneumoniam, aut per metastasim, aut per epigenesim: hoc modo illa mutatio, non tantum mala est, sed funesta: Morbus enim acutus, acuto succedens, priore non extincto mortalis est. Si verò per metastasim, mala quidem, quod acutus acuto succedens, sit periculosus, non tamen semper lethalis.

*A peripneumonia delirium malum.* 12. 7.

EA distinctio quæ facta est in superiori Aphorismo accommodari potest huic sententiæ: tamen peior est in hac mutatione translatio, quia fit a parte officiali in principem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Qui acidum eructant, non admodum pleuritici fiunt. 33.6.*

HIc Aph. pertinet ad prædictionem, nam ex re pręſenti, nempe ructu acido prædicitur futurum, vt aliquis non laboret pleuritide: eadem enim eſt diſciplina contrariorum. Quare priuationis morborum erit prædictio, vt eſt poſitionis. cauſa autem conſiſtit in eo, quod qui acidum ructant, abundant humoribus craſſis, viſcidis, & pituitoſis, aut melancholicis, qui in ventriculo præſertim redundant: Hi autem humores raro per defluxum, procreant tumores lateris, & inflammationes illius: non enim partes illas, denſas permeare poſſunt: Ergo qui acidum ructant non admodum pleuritide laborant.

*Qui pleuritide laborant, niſi intra dies quatuordecim supernè purgentur, ijs in empyema fit mali tranſlatio. 8.5.*

COnſueta, & frequentior pleuritidis ſolutio, fit per expectorationem, finis autem pleuritidis, quia morbus exiſtit acutus, eſt decimusquartus dies: ſi ergo non purgetur pleuritis intra dies quatuordecim ſupernè, natura coquit materiã pleuritidis, intra membranam coſtas ſuccingentem, quæ tandem in capacitatem thoracis tranſlata, empyrema procreat, nihil

nihil tamen vetat eam materiam transferri per vrinas, aut per fæces alui ſalutariter, vt vidimus in multis.

*Quicunque ex pleuritide empyj fiunt, ſi a ruptione empyematis intra dies quadraginta repurgentur, liberantur, alioqui tranſeunt in tabem. 15. 5.*

EX Aph. 8. libr. 5. qui pleuritide laborant niſi intra dies 14. ſuperius purgentur, ijs in empyema, fit mali conuerſio: Verum non fiunt empyj 14. die ſemper: ſed, quo die abſceſſus rumpitur, & effunditur pus in capacitatem thoracis: dignoſcitur vero puris confectio in pleuritide, ex pondere in latere percepto: tum ex mutua horreſcendi, & ſudandi viciſſitudine: ſtimulatur enim membrana acrimonia puris, & tenuior illius pars per poros reſudat, cognoſcitur vero ruptio illa, quod lateris affecti grauitas auferatur, & naſcatur pondus ſupra diaphragma, à pure ibi ſtabulante, tum difficultas reſpirandi maior, ab oppreſſione præcipui liberæ reſpirationis inſtrumenti, tum reliqua adſint ſymptomata, quæ empyema conceptum oſtendunt: Numerando ergo ab eo die, ſi intra 40. dies, qui terminus eſt longior, materia empyematis repurgetur, aut natura, aut arte ægri liberatur. Sin cótra tabidi fiũt, quod diuturnitate temporis, pus illud malignitatẽ acquirat, & acrimoniam: vnde pulmones exulcerantur, ex quo vlcere, tabes contingit.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Destillationes in ventrem superiorem ad suppurationem perueniunt intra dies viginti.* 38. 7.

PEr ventrem superiorem iudicio omnium interpretum Hipp. intellexit thoracem, nomine vero distillationis, inflammationem per defluxum, genitam in partibus internis thoracis: hanc inflammationem superari scribit intra 20. dies, quod illud tempus satis sit ad puris confectionem Hipp. vero sumit semper terminum mediocrem: quædam enim inflammationes citius suppurantur, aliæ tardius, pro quantitate materiæ, & naturæ viribus.

*A sanguinis sputo puris expuitio, malum.* 15 7.

ISta consecutio sputorum, vt cum sputum purulentum sequitur sanguineum, demonstrat vlcus, aut abscessum in parte illa conceptum, a qua pus dimanat, hoc autem non accidit in cerebro, aut partibus oris, licet enim ex ore & faucibus tum ex cerebro spuendo reijciatur sanguis, Tamen, nulla aut perexigua subsequitur puris sputatio. Aphorismus autem intelligendus de copiosa: parua enim puris reiectio mala, nullo pacto esse potest, atqui multa non potest esse puris excretio, post sanguinis sputum, nisi pulmo, aut pectoris partes afficiantur: quorum affectio mala est. Ergo à sanguinis sputo, puris sputum malum: alia redditur ratio ab Hipp. Apho-

rismo sequenti nempe 16. libr. 7. cum scribit.

*A puris sputo phthisis, & fluxio, cum vero sputum retentum fuerit, moriuntur. 16.7.*

A Puris sputo necessario tabes non sequitur, nisi puris sputum ab vlcere pulmonis oriatur. Quare aduerte puris sputum aliquando nasci, ex repurgatione materiæ abscessus, concepti in latere, aut alijs partibus pectoris, aut ab empyemate, quam necessario non sequitur phthisis: nisi longitudine temporis, illud pus transeundo per pulmones, illos exedat. Sin autem nascatur ab vlcere pulmonum, phthisis necessario sequitur, fluxus autem nomine intelligit, vel fluxum ventris, vel capillorum defluuium, quæ in phthisi sunt periculosa ex coacis, & prognosticis, tum Aph. 12. l. 5. propter debilitatem retentricis intestinorum, & cachexiam totius corporis, cuius ratione exsiccati capilli decidunt. in phthisi vero si sputum retineatur primo oregmonem parit, & paulo post suffocationem, & mortem.

*Tabes ijs maximè ætatibus fit, quæ à decimo octauo sunt ad tricesimumquintum. 9.5.*

ESt prognosticum tabis futuræ à ruptione venæ, Nam ea ætate maxime abundat sanguis, rumpitur autem vena è copia distendente, propter efferues-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

centiam, quæ enim feruent maius ſpatium requirunt.

*Quibus per tabem capilli è capite defluunt, ij alui profluuio ſuperueniente moriuntur.* 12.5.

PRofluuium alui natum ex ea materia quæ cauſa eſt defluuij capillorum in tabe, eſt mortale. defluunt enim capilli, propter acrimoniam, & corruptionem alimenti partium ſingularum, cuius quædam portio labitur è cerebro, in inteſtina, quæ proritantur ad excretionem: fluxus vero, qui conſtat materia morbifica critice expurgata, ſalutaris eſſe ſolet. de primo intelligendus eſt Aphoriſmus cum ſuccedat defluuio capillorum.

*Si tabe detento profluuium alui ſuperueniat perniciosum.* 14.5.

AD explicationem huius Aphoriſmi, neceſſaria eſt diſtinctio ſuperius explicata, de duplici fluxu, nam ſi fluxus ſit corruptæ materiæ, & crudæ, pernicioſus, ſi vero materiæ morbificæ coctæque, ſalutaris.

*Qui tabe infeſtantur, ſi ſputum quod extuſſiunt olet grauiter carbonibus iniectum, & capilli defluunt, lethale.* 11.5.

ANimaduertere diligenter oportet, num ſputum fœtidum, aliunde proficiſcatur quam ex vlcere pulmonum, nimi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

rum ex vlcere partis alicuius ipsius oris. Si ergo emanarit ex vlcere pulmonum mortis prænuncium est, quia ille fætor soboles existit magnæ corruptionis, & malignæ, qua extinguitur calor natiuus pulmonum, & cordis temperies labefactatur: vicinia, & proximitate tamen, quia sæpe pituita, putret in pulmonibus, quæ in ignem coniecta olet grauiter, sine iudicio funesti euentus. Hipp. ad certiorem, & firmiorem prædictionem addidit, & capilli defluunt, de quo capillorum fluxu in superioribus dictum est.

*Si empyis, cum vruntur aut secantur, purum, & album pus effluat, euadunt: si vero subcruentum, fæculentumque & fætidum, pereunt.* 44. 7.

IN empyemate concepto, quando metus imminet suffocationis, aut non potest natura pus expurgare, per expectorationem, si vires consentient aperiendum est latus ferro & igne, inter quartam & quintam costam, numerando a prima falsa costa versus superiorem, idque nouacula suprema parte obtusa, inferiore incidente, ne neruus, arteria, & vena secentur, quę delitescunt, in parte inferiori costæ Hæc autem sectio debet fieri consilio Hipocratis in coacis animaduersionibus, 15. die post ruptionem apostematis, Quod scilicet intra illud tempus, pus coquatur, crudum enim educere non est æquum, imitatione



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

naturæ, quæ prius coquit, quam excernat, nisi necessitas cogat, neque diutius cunctandum, ne acrimonia, & fœtore puris à corruptione nata, labefactentur vires vitales, vnde mors: tempus vero ruptionis vomicæ potest animaduerti ex signis prescriptis empyematis concepti: Quare ergo si liceat medico illa cognoscere, pus educetur prauum, cum prauis ægri rebus: Quod scilicet, aliquando vocetur medicus longe post decimumquintum diem, aut talis sit natura puris concepti: eligit ergo potius medicus in summa necessitate, aliquod remedium ad solatium ægri experiri, quam nullum, secando scilicet, vel vrendo: euadunt vero illi ægri, qui secantur, aut vruntur si pus fuerit album, & purum, quia significatur potestas naturæ robusta, quæ potuit tale pus conficere, si vero fuerit subcruentum, fœculentū & fœtidum, pereunt illi empyj, quod illud pus significet naturæ debilitatem summam, genitam à corruptione, & deprauatione materiæ purulentæ, a qua mors impendet, notandusque Aphoris. 27. lib. 6. quicunque empyi aut hydropici, vruntur aut secantur si pus aut aqua vniuersim effluxerint omnino moriuntur, propter dissipationem repentinam spirituum quare sensim facienda puris eductio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# PROGNOSTICVM de morbis cordis.

*Qui sæpe & vehementer citra manifestam causam animo linquuntur, ij de repente moriuntur. 41. 2.*



Ypothymia, est præceps virium lapsus, quę cum agnoscat multas causas, illę vel sunt medico manifestę, vt penuria alimenti, fluxus ventris magnus, hemorrhagia larga, & aliæ multæ: aut occultæ, vt dissipatio spirituum, à causa interna, vt à tumore præter naturam cordis, à pure transeunte per cor, à copia aquosi humoris à pericardio contenti, & ab alijs causis. Ea quæ pendet à causa non manifesta, aut quidem nota, sed interna & perenni quæ sit occasio frequentioris lypothymiæ & vehementis, cuius vehementia dignoscitur duratione, longa & difficili virium restauratione, licet commode adhibeantur remedia, repentinæ mortis causa est futura, propter facultatem vitalem dissipatam, frequentia lypothymiæ vehementioris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# DE PROGNOSTICIS AD AFFECTVS IMI ventris pertinentibus.

*Quibus elata hypochondria murmurant, lumborum dolore succedente, iis alui humectantur: nisi flatus erumpant, aut vrinæ copia prodeat, hæc vero in febribus accidunt. 73.4.*



Vturi fluxus ventris, in febribus præsertim pituitosis, tria signa prodit Hip. elatio hyppocondriorum à flatulento vapore, per calorem coquentem excitato: murmur in ijsdem perceptũ, ex motu flatus mixti cum humore: & lumborum dolorem natum à distentione partium in lumbis iacentium, & præsertim intestinorum, quæ in illis sita sunt: cum enim ibi adsit materia morbifica, natura eam expellet per proxima, & commoda loca, nimirum per intestina, expulsa autem per intestina fluxus alui nuncupatur, tamen necessario his positis, fluxus ventris non concitatur, potest enim in flatus discuti, aut per vrinæ vias purgari: quare Hipp. subiungit, nisi flatus erumpat, aut vrinæ copia prodeat.

*Quibus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Quibus dolor circa hypochondrium est, sine inflammatione, iis febris superueniens dolorem soluit.* 40.6.

DOlor hypochondrij, vel circa hypocondrium sine inflammatione natus, significat illum pendere ab humore frigido, aut intemp. frigida, vel à flatu, cui nullum præsentius remedium contingere potest, quam febris superueniens, febris namque omnibus affectibus à frigida intemperie ortis, remedio est vt contraria: quare in illo dolore vtile censetur vti calidis discutientibus, exemplo spontaneę dissolutionis à febre manante.

*Dolores & tumores ventris sublimes, leuiores, non sublimes, fortiores.* 7.6.

VEnter inferior mensurandus, secundum profunditatem, cuius profunditatis medium est peritoneum, dolores itaque & tumores sublimes dicuntur qui sunt supra peritoneum, prope musculos abdominis, vel in illis: non sublimes sed profundi, qui sunt in partibus interioribus, qui fortiores proinde sunt quod afficiant partes nobiliores, nimirum iecur, lienem, & reliquas partes internas: sublimes autem sunt leuiores, quia partes superficiarias lædunt, & facile curari possunt. pertinet vero ad prognosticum hic Aph. quatenus ex illo prædicitur longitudo do-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

loris, secus enim, est partis affectæ signũ: sunt autem longiores, partis natura & motu affectionis.

*A ventris diuturno dolore suppuratio fit. 22. 7.*

CVm suppuratio sit futura post dolorem, ad prognosticum pertinet hic Aph. Cæterum dolor in partibus imi ventris, potest procreari à multis causis. Verum quia Hipp. scribit diuturnum dolorem, facile ostendit eius causam esse huiusmodi, quæ facile non possit dissolui, & tamen in pus mutari queat: talis autem censetur inflammatio œdematosa, quæ cum diuturna sit, ratione pituitæ admixtæ, tãdem in pus mutatur: cognoscitur autem ex febre lenta, tum grauitate percepta in partibus imi ventris, & renitentia, & demùm ex causis generantibus humores illos, nimirum sanguinem & pituitam. Ac si diceret Hipp. tumor œdematosus dolorificus in partibus imi ventris natus, minatur futuram suppurationem, id est puris in ea parte collectionem.

*In forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas, malum. 62. 7.*

DOloris vehementioris partium præsertim internarum, ea est conditio, vt ad se attrahat spiritus, & sanguinem, ex quo accidit vt practici medici fluxionem maxime reformident, in eas partes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

futuram in quibus commouetur dolor vehemens: præterea nihil æque diſſipat vires, atque dolor vehemens: Ergo non eſt mirum, ſi externa frigeant in doloribus vehementioribus ventris, cum retrahantur ſpiritus ad partes internas, & diſſipentur in toto corpore: atqui diſſipatio ſpirituum ob quam accidit in extremitatibus perfrigeratio mala eſt, peiorque propter retractionem ad partes interiores; in quibus dolor vehemens exiſtit.

*Quibus inter ventriculum, & ſeptum tranſuerſum, pituita concluditur, & dolorem adfert in alterutrum ventrem viam non habens, iis per venas in veſicam verſa pituita, morbi fit ſolutio.* 54. 7.

RArus exiſtimatur huius aphoriſmi caſus, eſt tamen ſummi hip. obſeruatio rationalis, poſito enim poſſibili nihil abſurdi ſequitur, at poſſibile eſt pituitam poſſe colligi inter ventriculum, & ſeptum tranſuerſum, & in reliquis corporis ſpatiis, neque ex his eſt, quę fieri non poſſunt, illam pituitam per vrinam expurgari: nam ex principio commentarij.5 lib.6.epid. naturæ morborũ medicatrices, tum indocta natura, quæ neceſſaria ſunt efficit: Et libro de alimento confluxio vna, conſpiratio vna, compatientia omnia: natura ergo ſibi molitur viam nobis occultam, cum corpus ſit totum perſpirabile & commeabile.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Quibus prædurum iecur aduritur, si purum pus effluat, & album, salui fiunt, in tunica enim ipsis pus continetur: si verò qualis amurca profluat, intereunt.* 45. 7.

QVando critici dies præteriere, nec hepatis inflãmatio vllo genere crisim finitur, quoniã à pure concepto vitiatur iecoris perenchyma, de aperienda vomica est cogitãdum, vt puri pateat exitus: quo posito inquit Hip. si pus purum id est album, læue, & æquale effluat, euadunt ægri, ostenditur namque robur naturæ coquentis, Hip. verò aliam reddit rationem, quod scilicet pus in tunica contineatur: quæ ratio subobscura est, nam maior est vis caloris, in penitioribus partibus iecoris, quàm in superficialibus. Ergo longe à membrana internam partem versus, pus debet generari perfectius, secundo, cur postrema parte Aphorismi, non dicit Hipp. quia pus in substantia iecoris continetur: & non quòd pus qualis amurca profluat, propter hanc difficultatem, multi huius Aphorismi interpretationem prætermiserunt: Nos vt soluamus illa argumenta, Respõdemus voluisse Hip. significare abscessum iecoris prope membranam inuestientem, ex quo, sectione facta fluit pus laudabile, esse salutarem: illum verò, qui fit in partibus internis iecoris, esse mortalem, non quia sit internus, sed propterea quod aperiuntur, & ero-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

duntur illæ venæ, quæ per iecur ſpargun-tur, ex quibus affluens ſanguis, cauſa mortis eſt, propter hanc rupturam, pus amurcoſum egreditur, & fœculentum, quippe mixtum cum ſanguine craſſo, qui dum coqueretur inflammatio, craſſus eſt effectus.

*Hepar durum effici, regio morbo correptis, malum eſt.* 42. 6.

IN regio morbo hepar durum fit, aut ab inflammatione, vel ſcyrrho, aut à ſola obſtructione, hæc verò ſunt diſtinguenda ſignis, in praxi explicatis: omnis autem durities hepatis mala, quod viſceris principis læſionem magnam oſtendat, quæ mala cenſetur: peior tamen cenſetur, quæ ab inflammatione, aut ſcyrrho ortum ducit, cum enim læditur à cauſis enumeratis, labefactatur facultas ſanguifica, quam labefactationem ſequitur deprauata omniũ partium nutritio, quæ mala eſt: Ergo regio morbo laborantibus, iecur durum fieri malum.

*Quibus hepar vehementer dolet, iis febris ſuperueniens, ſoluit ægritudinem.* 53. 7.

CVm febris ſuperueniens ſoluat dolorem iecoris, neceſſarium eſt dolorem procreari à frigida intemperie, & à flatu: nam febris eſt tantum remedio frigidis affectibus. Et quia parẽchyma iecoris, non eſt valde ſentiens, quippe neruulo à



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ſexto pari tantum eſt donatum. Quare non poteſt valde dolere: intelligendum itaque locum doloris, eſſe membranam veſtientem, aut ligamentum, quo ſuſpenditur iecur: quibus itaque à frigida intemperie, & à flatu iecur dolet externa parte, iis febris ſuperueniens ſoluit ægritudinem.

*In hepatis inflammatione ſingultus malum.* 17. 7.

SIngultus propter iecoris inflammationem naſcitur, aut à ſiccitate orificij ſuperioris ventriculi, aut à bile è iecore in illud orificium regurgitante: omnis talis ſingultus malus, ab inanitione tamẽ peior cenſeri debet, poteſt namque bilioſus humor mitigari, lenientibus, & purgari: qui autem ab inanitione, aut ſiccitate ortum ducit, vix eſt curabilis, quia à priuatione habitus vix comparatur.

*Qui lienoſi difficultate inteſtinorum corripiuntur, iis ſuperuenientem longam diſenteriam, aqua intercutem, aut inteſtinorum læuitas excipit, & moriuntur.* 43. 6.

HVic aphoriſmo omnino contrarius eſt 48. huius lib. In quo ſcribit Hip. lienoſis ſuperueniens dyſenteria bonum, hæc contrarietas facile conciliari poteſt diſtinctione paulo poſt dicenda: lienoſus nomine generali ille dicitur, cuius malè eſt affectus lien. Hoc loco peculiariter appellatur cuius lien eſt plenus prauis humori-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

bus, quorum repurgatio fit per inteſtina, nimirũ per dyſenteriam: ea vero dyſenteria, ſequitur naturam humoris in liene cõtenti. Quare ſi humor fuerit atrabilarius, diſenteriam procreat incurabilem, ex Hip. Aph.24.lib.4. ſi à melancholico ſucco, qui diuturnitate temporis putredinem, & acrimoniam contraxerit, vnde habet vim erodendi & vlcerandi inteſtina, diſtinguendum: Nam ſi ea breuis ſit ſalutaris exiſtimatur; ſi lõga, lethalis. Quocirca Hip. Aph.43 inquit, ſi longa ſuperuenerit diſenteria Aphoriſmo verò 48. loquitur de breui & ſalutari, longam vero dyſenteriam ſequitur, aqua inter cutem, aut inteſtinorum, leuitas, ſiue lienteria: Hydrops quidem, à refrigerato hepate, lienteria verò propter ventriculi, & inteſtinorum debilitatem ſummam.

*Quibus tormina adſunt, & circa vmbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque per alia præſidia ſoluitur, in ſiccam hydropem firmatur.* 11.4.

OPortet illa tormina, naſci à flatu cum deſinant in hydropem ſiccum, qui à flatu ortum ducit, affectus enim naſcitur, à ſimili cauſa: cum verò neque medicamentis, neque aliis præſidiis ſoluatur, firmatur ille hydrops, quod perinde eſt ac ſi diceret non ſanatur. Quod ſcilicet mala, quæ non cedunt remediis appoſite applicatis, naſcantur ab æquali intemperie, quæ hectica diſpoſitio appellatur, incurabilis omnino.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Aqua inter cutem laborantibus, exorta in corpore vlcera non facile sanantur. 8. 6.*

VLcera sanantur exsiccatione, & carnis regeneratione, atqui in hydropicis præsertim aquosis, adest aquarum copia, quæ exsiccationem vlceris prohibet:& carnis laudabilis generationem. Ergo verus est Aphor.

*Aqua inter cutem laborantibus, tussis superueniens, malum. 35 6.*

TRiplex in hydrope potest tussis suscitari, prima à defluxu humoris in pulmones è cerebro manantis, quæ cum hydropis non sit consectaria, nec ab eo vllo modo dependeat, mala non potest iudicari: secūda proficiscitur à iecore tumescēte, & diaphragma cōprimente, vnde compressum & molestia affectum, sicca, & tussi inutili nititur frustra, & imaginatione fallaci excutere, quòd noxium est: hæc quidem mala vt symptoma, malè affecti iecoris, partis principis, non tamen ab hydrope manat: tertia est ab aquis in pulmones delatis: quod scilicet aqua hydropicorum eo ascēdat, quæ tussim parit malam, vt signum suffocationis, mox futuræ: laborant namque illi hydropici compressione draphragmatis & compressione pulmonum, ex quibus vehemens nascitur difficultas respirationis, & tandem suffocatio: ad hunc

Aphorismum referendus est 47.lib.7.licet diuersus videatur.

*Aqua inter cutem correpto, si aqua, quæ in venis est ad ventrem defluxerit, mali fit solutio.* 14. 6.

NOn est semper verus hic Aph. quare distinctione est opus, si quidem fluxus aquosus exortus fuerit in hydrope non confirmato scilicet, in quo partes ad imum ventrem pertinentes, & præsertim iecur, sunt adhuc integræ, solaque alteratione afficiuntur, non alienatione, is habet vim soluendi hydropem: cum vero alienata est viscerum illorum natura, confirmatus dicitur hydrops quod intra duos menses contingere censet Holler. in eo si fluxerit aluus multa colluuie aquosa, morbus non soluitur, Desperata enim sunt vitia in vlceribus quę nullo pacto sanari possunt, dignoscitur verò alienatio iecoris præsertim ex vrina sanguinei coloris, aut vinacei: quæ significat retentricem iecoris, venarum, & renum labefactatam, & prostratam penitus: eadem est interprætatio Aph.29. lib.7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# DE PROGNOSTICIS AD RENVM MORBOS, VESICAE, VENtriculi, & intestinorum spectantibus.

*Renum & vesicæ vitia, in senibus difficulter curantur. 6. 6.*



PEr vitia intelligit Hip. omnis generis morbos, renum, & vesicæ, curantur vero difficulter in senibus, propter naturæ debilitatem præsertim, si illi morbi fuerint longi, in superioribus namque dictum fuit raucedines & grauedines in senibus non curari. Accidit, quod medicamenta ad illas partes peruenire non possunt integris viribus, præterea ob affluxũ perennem serosi humoris salsi & acris per renes & vesicam labentis, ex quo vlcera nascuntur & dolores, nec non inflammationes. Triplici ergo de causa renum & vesicæ vitia in senibus difficulter curantur.

*Si quibus verò è renibus laborantibus, præter supra dicta signa, dolores etiam circa spinæ musculos fiant, siquidem ad loca exteriora sen-*

*tiantur, extrinsecus abscessum quoque expecta: Si vero ad interiora magis vergant, abscessum etiam intrinsecus futurum potius sperandum est. 36. 7.*

MOrbos renales intelligit eos omnes, qui nascuntur in regione renum, & circa lumbos. Mala vero signa illa, quæ fuere duobus superioribus explicata, nimirum bullæ supernatantes in vrina, tum pingue, quod supernatat in vrina, quæ longum morbum renum, & diuturnum significant, Bullæ namque demonstrant calorem multum, qui dilatat humorem viscidum illum, replendo flatibus: pingue autem est effectus caloris febrilis vehementioris fundentis, quæ omnia mala sunt signa: ad ea vero si accesserit dolor vehemens, denotant in his locis intemperiem cum materia, quæ temporis progressu mutabitur in abscessum exteriorem, aut interiorem, prout dolor fuerit internus, aut exrernus.

*In morbo diuturno cibi fastidium, & syncera deiectiones malum. 6. 7.*

IN morbis longis opus est victus ratione pleniore, vt vires conseruentur ex lib. 1. aph. Si ergo æger, qui longo laborat morbo, cibi fastidio vexetur, interiturus est alimenti penuria. cibi vero fastidium nascitur ex appetitione prostrata, synceræ

autem deiectiones, significant debilitatem facultatis miscentis excrementa, tum consumptionem seri omnis, omnis verò facultatis informitas mala censetur, & quo plures in vitio sunt facultates, eo peiore loco sunt res ægri.

*Qui sanguinem vomunt, si sine febre quidem, salutare: si vero cum febre, malum: curare vero acerbis & refrigerantibus. 37.7.*

OMnis depletio plethorę, laudabilis existimatur, atqui vomitus sanguinis sine febre, est euacuatio eius copiæ. Ergo bona est: Si verò cum febre ille vomitus contingat, quoniam demonstrat vehemētem inflammationem, aut erosionem, vel ruptionem venæ ventriculi, malus est existimandus, difficile namque curatur, & ventriculus, in quo est vomitus proxima causa debilitatur, vnde ventris segnities, coniungitur cum vasorum impuritate & sequitur omnium confusio. Hip. subiungit modum curandi per refrigerantia, & astringētia, vi illius canonis, contrariorum contraria sunt remedia.

*Singultu fatigante, sternutatio superueniens liberat. 13.6.*

SIngultus causa multiplex vna primaria, altera per consensum: primaria ab inanitione, aut repletione, hic aphorismus intelligendus est de singultu à repletione

orto, nam cum in eo æger euacuatione molestantis materiæ egeat, sternutamento fit succussio ventriculi, ad quam sequitur euacuatio, materiæ singultum excitantis, est ergo prognosticus hic aph. quoniam suborto sternutamento in eiusmodi singultu sanitatis spes elucet, tum etiam therapeuticus, quod imitatione naturæ post purgationes debeat medicamentis sternutatio commoueri, propter causam dictam.

*In longis intestinorum difficultatibus, cibi fastidium malum, & cum febre peius. 3. 6.*

CIbi fastidium in longo morbo periculosum, in superiori aph. iudicatũ fuit, peius autem censeri, etiam in longis intestinorum difficultatibus: nam ob fastidium cibi non nutriuntur partes, & propter fluxus alui, deperditur corporis substantia, si ad hæc mala accedat febris dissipans spiritus & humorem radicalem, non tantum male habent tales ægri, sed lethaliter afficiuntur.

*In diuturna læuitate intestinorum, si ructus acidus superueniat, qui prius non extiterit, bonum est signum. 1. 6.*

RVctus acidus potest contingere in liēteria, aut in principio, aut longo post tempore: in principio, est iudicium crudæ materiæ in ventriculo residentis, quæ ab

intemperie frigida ventriculi ortum ducit, ructus vero superueniens, qui prius non erat sed longè à principio lienteriæ, bonum est signum, nimirum naturæ, aut facultatis coctricis reminiscentis: cum enim effecta esset & languida, nulli suscitabantur ructus, quod potis non esset natura vaporem procreare ex cruditatibus in vētriculo stabulantibus. Cum autem multo post tempore ructus mouet, elucessit coctricis reminiscentis potestas, quæ paulatim vires resumendo, in pristinum statum reuocatur.

*Dysenteria si ab atrabile inceperit, lethale. 24. 4.*

NOn dicit Hip. disenteriam ab atra bile lethalem, Nam si atra bilis excreta fuerit criticè, in bonis ducitur eius excretio. Sed scribit si ab atra bile inceperit, in principio enim, eius excretio critica esse non potest, cum in principio omnia sint cruda, nec pepasmi sit capax, quia tantæ est malignitatis, vt in principio cogat naturam ad sui excretionem. Lethale itaque parit vlcus, tum perennitate affluxus, acerbitate doloris, affectione incurabili, partis vnde promanat, interceptione communis officij intestinorum.

*Difficultatem intestinorum habenti, si veluti carunculæ deiiciantur lethale est. 26. 4.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

IN dyſenteria crudeli, primò pinguedo deiicitur, qua obliniuntur inteſtina interna parte. ſecundò, tunica interior inteſtini abraditur, quæ alba eſt, cuius partes ἐφελκίδες aut ramenta inteſtinorum appellantur. tertio & vltimo ſubſtantia eiicitur, mixta ex tunica & caruneulis: eſt enim exterior inteſtinorum membrana carnoſa, cum eo peruentum eſt, nihil ſupereſt exedendum, niſi tunica quæ inteſtinis à peritoneo communicatur, corrodatur, & perforentur omnino inteſtina; huius tunicæ carnoſæ, vlcera valde ſunt periculoſa, præſertim in tenuibus inteſtinis, in colo verò & recto, nõ perinde, quod vt ſcribit doctiſſimus Duretus nullum ſuperſit regenerandæ carnis fundamentum.

*A ſyncera deiectione, dyſenteria. 23. 7.*

SVnt, qui addunt malum, cuius nominis Gal. & Holler. nullam mentionẽ faciũt nec Auega, Valeſius eos reprehendit, qui addiderunt: non tamen in re ipſa differunt. Certum quidem eſt ſynceram deiectionem acrem eſſe, præſertim, cum à Gal. dicatur ſyncera, cui nulla aquoſa humiditas eſt permixta; ea autem potiſſimum dicitur bilioſa, & atrabilaria: nec mirum ſi acre excrementum erodat inteſtina, diſenteriãque pariat, quæ non poteſt eſſe niſi mala, ratione humoris ſynceri. Nam omnis ſyncera excretio mala fuit iudicata,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tum ſymptomatis, nulla namque dyſenteria, niſi critica ſit, poteſt dici, niſi mala, à ſyncera verò excretione nata ſymptomatica eſt. Ergo malâ, hic aph. pertinet ad prędictionem futuræ dyſenteriæ & ad curationem, vt ſcilicet medicus his vtatur medicamentis, quæ prohibent exulcerationem inteſtinorum, qualia ſunt pinguia, & lenientia.

*Quibuſcunque ileos ſuperuenit & à ſtranguria, intra ſeptimum diem moriũtur, niſi febre ſuccedente vrinæ ſatis effluat.* 44. 6.

TOta difficultas huius aphoriſmi, eſt poſita in hoc, quo pacto vrinæ ſtillicidio ſuperueniat Ileus, cui febris ſuperueniens ſit remedio, à poſteriori ſic argumentari videtur Gal. ſolis illis morbis cõfert febris qui ex frigida intemp. naſcũtur aliquando ſola, & nonnunquã cum humoribus crudis, & flatuoſis ſpiritibus, ex quibus ita concludit in fine commentarij, multitudinem igitur crudorum humorum vna cum multa frigiditate, melius eſt talium in ileo caſuum, qui dicti ſunt cauſam arbitrari; hic enim ſola febris eſſet remedium diſpoſitionis, & retentarum vrinarum euacuatio: his poſitis perquirendum vtrum ſtillicidium vrinæ, à craſſis humoribus poſſit oriri: reſpondeo frigidi humores inteſtinis incluſi poſſunt adeo refrigerare veſicam, proindéque eius vim retentricem debilitare, vt inde ſtillicidium vrinæ pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

næ proficiſcatur: & ab iiſdem in inteſtinis produci poteſt ileos, præcluſis ductibus, per quos fæces excluduntur: is ileus acerbitate doloris ſolet intra ſeptem dies perimere ægrum, niſi febris ſuperueniat, quæ ex Gal. in comment. huius aph. euacuabit craſſos humores per vrinas, poſtquam confecti, & cocti erunt.

*Ab ileo vomitus, aut ſingultus, aut conuulſio, aut delirium malum.* 10. 7.

ILeus, morbus eſt inteſtinorum in obſtructione conſiſtens, & interceptione meatus illorum: cuius cauſæ proximæ ſunt crudi humores craſſi, fęces exſiccatæ, enterocele, inflammatio inteſtinorum, omnia denique, quæ fœcibus expurgandis viam intercludunt; locus affectus eſt inteſtinum aliquod tenue aut craſſum, vt intelligi poteſt, ex Galeni commentario ſecundo. In lib. 3. epid. vomitus non omnis eſt malus in ileo, præſertim in principio, ſed is tantum in quo ſtercus reiicitur per os. Cum enim per ventriculum tranſeat, inficit partes vitales ſuo fætore, lypothymias parit, & ſignum eſt futuræ priuationis nutritionis, quod chylus nec confici, nec diſtribui poſſit: ab eadem cauſa ſingultus ortum ducit, quod nimirum, ab excrementis tranſeuntibus, per ventriculum erodatur ſuperius eius orificium, à quo ſingultus naſcitur, qui ſi ſequatur nimiam euacuationē, per vomitum factam, lethalis



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

omnino putabitur, desipientia verò nascitur propter fumos ascendentes ad cerebrum, lædentes imaginationem: conuulsio autem si fiat per consensum, cum ventriculo male affecto, & intestinis, mala quidem est; ab inanitione per vomitum genita lethalis omnino.



# PROGNOSTICA DE FEBRIBVS.

*Febres quæ tertio quoque die vehementius affligentes non intermittunt periculosiores sunt: quoquo enim modo intermiserint periculum abesse significant.* 43. 4.



EBRES intermittentes dicuntur, quarum paroxismi desinunt, ad infebricitationem, periculo autem vacant, quia tempore intermisssionis, natura reparatione virium studeat, nec proficiscantur ab inflammatione, aut corruptione alicuius partis internæ principis, aut officialis, nec à maligno humore, quæ causæ solent periculum in febribus creare: tamen tanta potest esse virium debilitas, defluxio, aut syncope in febribus intermittentibus, vt in principio accessionis, aut in incremento, æger moriatur, non raro in-

declinatione per dissipationem spirituum, de qua re fusius in praxi.

*Quibus accessiones fiunt, si febres quacunque hora dimiserit, postero die eadem inuaserit, iis difficulter soluitur.* 30. 4.

VEritas huius aph. confirmatur experientia, & ratione, cum vero textus sit inuolutus obscuritate, cum scribit, si qua hora dimiserit, eadem repetat, enodandus est: posset enim intelligi, si hora nona. v. g. finiatur febris hodie, crastina die, aut alia, hora nona incipiat. Quæ interpretatio non esset coueniens: quoniam illa febris mutatio, ratione temporis, non significaret difficultatem iudicij: sed varietatem, in causis morbificis: quocirca non de fine vnius, & de principio alterius febris textus est audiendus: sed de principio ambarum: & sensus sit, si quacunque hora inceperit, vno die, altero eadem hora reuertatur febris iudicatu difficilis sit, quod par remaneat quantitas, & dispositio similis materiæ, naturaque in dies debilitatur, & debilitata non possit immutare, & domare materiam febrem committentem: quare morbus saltem est futurus longus: & non sine periculo, nisi diligens medici industria suppetias attulerit.

*Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur.* 63. 4.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

RIgoris nomine intelligit Hip. nõ tantum rigorem propriè dictum: ſed refrigerationem, & horrorem, nec de omni febre: ſed de ſimplici intermittente: nam in hæmitritæo, rigores fiunt alternis diebus: non tamen ſoluitur febris iiſdem, rigor namque in febribus, demonſtrat materiam extra vaſa collectam quæ accenditur, & deinde diſſoluitur, aut per ſudores, aut per inſenſibilem tranſpirationem: quoties ergo rigor adeſt in principio febr. illiuſque materia continetur in habitu corporis, poteſt prædicare medicus illam ſolutam iri, acceſſioneſque alias futuras.

*Aeſtiuæ quartanæ, magna eſt parte breues ſunt, autumnales verò longæ: præſertim quæ hyemem attingunt. 25. 2.*

CAuſa lõgitudinis aũt breuitatis morborum conſtituitur in copia materiæ, illius conſiſtentia, euaporationis facilitate, aut difficultate, & viribus, pauca enim quantitas materiæ raræ, in corpore meabili tempore æſtatis, conſtantibus viribus facile diſcutitur, à contrariis cauſis contrarius naſcitur effectus, atqui æſtate materia pauca colligitur quia corporis excrementa euacuantur facile, rari ſunt humores, bilioſi namque potiſſimum accumulantur, vi tempeſtatis facile excutiuntur, per poros apertos quibus, ſi accidat virium robur, morbi omnes ſolent eſſe æ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ſtate breues. verum, quartana à craſſo fit humore, melancholico ſcilicet, aut atrabilario: verum illud quidem eſt, nihilominus rareſcunt illi humores admixtione bilis, & vi caloris tempeſtatis: Quare æſtiuæ quartanæ magna ex parte breues ſunt: magna quidem ex parte, nam ſi vires ſint debiles, & copia craſſorum humorum, longæ eſſe poſſunt, autumnales ex contrariis cauſis longæ fiunt, & præſertim ſi ad hyemem perducantur, propter generationem humorum craſſorum, & perſpirationis diminutionem.

*In febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores ſint frigidæ, & interiores vrantur, & ſitim habeant lethale eſt.* 48.4.

IN febribus continuis non poſſunt eſſe partes exteriores frigidæ, & interiores calidæ, niſi calor partium exteriorum attrahatur intro, hoc autem non fit, niſi inflammatis partibus interioribus, quarum inflammatio cucurbitulæ modo attrahit ſanguinem & ſpiritum intro: ab inflammatione vero ſitis. Lethale autem exiſtimatur tale ſymptoma, quod ab incendio interno diſſipetur calor natiuus & ſpiritus, quorum diſſipatio lethalis eſt habenda: appoſuit autem, (& ſitim habeãt) quod illa ſitis magnitudinem inflammationis, & incendij demonſtret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Si in febre non intermittente labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nasus peruertatur, si non videat nec audiat imbecillo iam existente corpore: Quicquid horum acciderit mors in propinquo est. 49. 4.*

SYmptomata quæ enumerantur, pertinent ad facultatem animalem læsam, nam conuulsio labri, supercilij, oculorum, & nasi, est effectus deprauatæ motricis facultatis, visus verò priuatio, & auditus, abolitæ visiuæ & audiendi facultatis symptomata existunt, quæ mala censeri debent: tamen quia vt in prognostico dictum fuit, damna facultatis animalis, si exceperis respirationis incommoda, numerantur inter illa, quæ parum medicum terrere debēt. Idcirco Hippocrates adiungit alia symptomata quæ ostendunt facultatis vitalis, & naturalis læsionem: cum ait imbecillo existente iam corpore, robur namque corporis potissimum ab his duabus facultatibus pendet, vitali, & naturali, quare si quid horum acciderit cum debilitate facultatis vitalis, & naturalis, in propinquo mors est: Sed præterea animaduertere oportet, num hæc symptomata sint critica, ad tempus apparentia: an symptomatica: siquidem hæc appareant post coctionis signa, medico nullum terrorem incutere debent, sed opinionem suggerere præsentis conflictus naturæ & morbi in quo superabitur morbus: Si verò appareant hæc, cum

ſignis cruditatis, funeſta merito iudicari debent.

*Quando in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium accidit, lethale eſt. 50. 4.*

DIfficultas reſpirandi & delirium ſignificant facultatem animalem eſſe læſam, nempe motricem & imaginatricem: in febre verò continua, non poteſt eſſe reſpiratio, niſi aut rara, & magna, aut celer, & magna, aut celer & parua, & aliquando frequens. magna quidem & rara in delirio, qui namque delirant obliuiſcuntur officij: quare reſpirationem ſuſpendunt, vſque dum neceſſitate vitæ coacti, reſpirare rurſus incipiant: & quia diu reſpirationem intermiſerunt, ex quo magnum in corde incendium conceptum eſt, quo poſſint illud reſarcire magnam edunt reſpirationem: eſt vero reſpiratio aliquando in delirio parua, & frequens, quia damnum ceſſatione contractum magnitudine ſubſequente non poteſt compenſari: id autem contingit, quia partes reſpirationi dicatæ offenduntur dolore inflãmationis, aut alio morbo impediente dilatationem pectoris: Ita vt magna non poſſit fieri reſpiratio, ſiue ergo fuerit magna & rara reſpiratio. aut parua & frequens, non poteſt ſatisfacere vſui, ex quo defectu ſequitur diſſipatio caloris innati, in ipſo corde ab incendio, vnde mors.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Qui in febribus, aut in aliis morbis voluntariè illachrymant, nihil absurdi est. Qui vero non voluntarie absurdius. 52. 4.*

LAchrymæ ſunt excrementa tenuia & aquea tertiæ coctionis, quæ fit in oculis, effluunt verò per glandem lachrymalem voluntariè aut non, voluntarias vocat Hip. quando voluntate conſentiente exeunt lachrymæ, expreſſione aut dilatatione, vt in triſtitia, aut lætitia, malum namque apprehenſum partes contrahit, quæ contractæ exprimunt humorem: bonum verò expandit & laxat partes, vnde humoris effluuium: his autem affectionibus conſentit voluntas: quare illæ lachrymæ voluntariæ dicuntur, non voluntariæ autem fiunt, ſine conſenſu voluntatis, & naſcuntur vel à cauſis externis fumo, vento, acrium rerum odoratu, aut ab internis, febre, aut à debili oculorum retentrice, quæ illas ſinit elabi: hæ poſtremæ malæ ſunt quod denotent facultatis retentricis debilitatem, omnis vero debilitas, cuiuſcunque facultatis, in malis ducitur.

*Quibus in febribus iuxta dentes lentores naſcuntur: iis febres vehementiores fiunt. 53. 4.*

CVm febres vehementiores fiunt periculoſiores quoque ſunt, quocirca hic Aphoriſmus pertinet ad prædictionem: lentores verò hi circa dentes oriuntur à

tur à

tur à vehementi calore exſiccante humores lentos, effectus autem, cum cauſæ poteſtatem demonſtrent, lentores illi iudicabunt ardorem auctum. hi verò ſi nigri extiterint, malignæ febris notas præ ſe ferunt.

*Febres ex inguinum bubonibus ortæ omnes malæ, præter diarias.* 55. 4.

BVbo propriè dicitur inflammatio nata in inguinibus, aut axillis, & licet alij tumores in illis partibus orti bubones vocentur, hoc Apho. tamen inflammatio audienda, cum febrem coniunctam habeat, quas febres omnes malas inquit Hip. præter ephemeras, nam ephemeræ vt leues ſunt cito finituræ, ita prauæ affectionis indicia eſſe non poſſunt. Aliæ autem febres quæ denotant, bubonem principia ducere ab aliquo viſcere principe aut officiali, quod mittit ad emunctorium materiam corruptam, quam in ſe concepit, malæ merito iudicari debent: omnes enim affectiones illarum partium magnæ ſunt, & præſertim cum bubonem conſectarium habeant, eo namque oſtenditur: aut copia materiæ corruptæ, aut eius malignitas, qua cogitur viſcus illud ad excretionem in emunctorium: omnis verò magna viſceris affectio mala eſt exiſtimanda, præſertim ſi proficiſcatur à copia materiæ corruptæ, aut ab illius malignitate.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Qui ardente febre correptus est, à morbo liberatur si rigor successerit. 58. 4.*

SVperueniens rigor febri ardenti est nuncius pugnæ inceptæ naturę, & morbi, illam si sequatur excretio materiæ causæ febris, & rigoris per vomitum, alui fluxum, aut sudorem, liberat à febre ardente; quam ob causam hic Aph. spectat ad prædictionem, cum excretio, res sit futura post rigorem: eius autem excretionis futuræ ex rigore non sunt captanda indicia certa: quia semper rigori non succedit expulsio materiæ morbificæ: sed ex signis coctionis præcedentibus. Quoties enim prægressis coctionis iudiciis rigor commouetur, rigorem excipit materiæ morbificæ exclusio salutaris: Verum si cruda extiterint excrementa, rigor ille symptomaticus est, qui commouet materiam, nec expellit, vt decet: Quocirca post rigorem ægri perfrigerantur, & peius habent, aut moriuntur.

*Quibus per febres ardentes aures obsurduerint, iis sanguis è naribus profluens, aut aluus turbata morbum soluit. 60. 4.*

AVres obsurdescunt à fluxu alicuius materiæ, in neruum auditorium, aut dissipatione spirituum, vt in morituris: Signa fluxus materiæ sunt, ea quæ ostendunt cerebrum onerari humorum copia: in fe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

bre autem ille humor calidus sit est necesse, quare sanguis aut bilis, vel vterque humor, quorum indicia in facie apparent, & in cerebro, tumet namque facies & præsertim eius venæ, lucidi sunt oculi, tumentes, intra cerebrum vertigo febricitantem exercet, hebetudo memoriæ, & facultatum reliquarum principum oblæsio, cum hæc adsunt, effulget spes futuri sanguinis per nares effluuij, in ægri salutem: est ergo conditionalis hæc propositio.

*Quibus in febribus morbus regius ante septimum diem accidit, malum.* 62. 4.

MVlti hunc Aph. falsum existimant, quod experientia multorum acciderit ante septimum diem plures sanari. Amatus Lusitanus, contra calumniam Plinij & Auerrois respondet, curationem quadragesima nona centuriæ tertiæ, Hip. intellexisse ante diem septimum illud tempus, in quo materia cruda est: & quia vt plurimum materia illa biliosa & crassa, quæ non potuit excerni, non coquitur ante septimum diem, posuit terminum communiorem. Aph. ergo probatio talis erit, omnis transmutatio & motus materiæ, qui symptomaticus est, bona censeri non potest: Atqui in morbo regio, ante coctionem materiæ est symptomaticus? Ergo malus est censendus.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Qui in febribus morbus regius septimo vel 9. vel 11 vel 14 successerit, bonum nisi dextrum hipochondrium durum fuerit: si vero non, non bonum.* 64. 4.

EAdem est interpretatio huius Aph. quæ superioris, verum paulo dilucidior; ob duritiem relictam in iecore: nam durities illius demonstrat icterum esse symptomaticum, proindéque non bonum.

*In febribus, circa ventriculum vehemens æstus, & cordis morsus, malum.* 65. 4.

AEstus circa ventriculum maximam significat inflammationem ventriculi, aut partium vicinarum iecoris, lienis, aut alterius, vt ecphysis, vel copia bilis æstuentis in illis partibus, cordis morsus nimirum orificij superioris ventriculi, ab humoribus calidis & corruptis excitatur, hęc omnia mala censentur, vt causa, quod dissipetur calor natiuus illarum partium ab incendio: cibi corrumpuntur in ventriculo: vnde suo alimento priuatur totum corpus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*In febribus acutis conuulsiones, & circa viscera vehementes dolores, malum portendunt. 66. 4.*

IN febribus conuulsio nascitur, aut à siccitate dissipante humidum radicale partium, aut à bile orificium superius vētriculi corrodente, cuius vehementiæ, dolores circa viscera signum esse possunt: siquidem à siccitate nascatur extrema humidi primigenij, mortalis est: per consensum vero orificij ventriculi genita, non est lethalis semper.

*In febribus conuulsiones, aut pauores malum. 67 4.*

PAuores sunt symptomata affecti cerebri per se, aut per consensum, à repletione nata, ex vapore aut humore melancholico, aut atrabilario: conuulsio etiam proficisci potest, à siccitate, per dissipationem à calore febrili ortam, vtraque mala est: peior tamen quæ à siccitate ortum ducit, quemadmodum in superioribus fuit explicatum: humores autem illi, qui in cerebro generant pauores, malignæ sunt naturæ: atque ideo eorum effectus mali dicuntur.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*In febribus, spiratio offendens, & interrupta, malum: conuulsiones enim significat. 68. 4.*

RESpiratio offendens, aut est in febre, aut extra febrem. Idque duobus modis aut in plorantibus, & singultientibus, aut debilibus: in quibus facultas motrix voluntaria, aut impedita: aut debilis, quod vno impetu perficere non potest duobus conatur præstare: hoc loco Hipp. loquitur tantum, de respiratione offendente, aut intercepta à febre nata, quæ à siccitate ortum ducit necessario, atque ita argumentatur, illud quod significat conuulsionem futuram à siccitate malum est, respiratio intercisa demonstrat conuulsionem futuram à siccitate. Ergo mala est: maior potest hoc modo probari: Id quod ostendit partis imperātis & obsequentis in respiratione siccitatem, significat futurā conuulsionē: atqui intercisa respiratio denotat cerebri imperātis, & musculorū obsequentiū siccitatem, quæ febre emanat. Ergo intercepta respiratio patefacit futuram conuulsionem, & per consequens mala est. quoniam conuulsio à siccitate lethalis existimatur.

*Si rigor incidat, febre non intermittente, ægro iam debili lethale est. 46. 4.*

FRequens & iteratus rigor, significat iteratum & irritum naturæ conatum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ad excludendam materiam morbificam qui ægrum fatigat, eiusque vires debilitat, ſupponitur præterea æger debilis, & febris perſeuerans, quæ diſſoluit, & depaſcitur calorem natiuum: quid ergo mirum ſi æger moriatur in tanta virium debilitate: & licet poſt rigores iteratos, ſuccederet excretio, vires iam debilitatæ perferre non poſſent: quare, qui tali modo ſunt conſtituti, moriantur eſt neceſſe.

*Excretiones in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruentæ, fœtidæ, &ললioſæ omnes malæ.* 47. 4.

AB excrementis, & effectis cauſarum, & ſignis medico oblatis, fieri poteſt iudicium affectionum, cauſarum, & partium, ex quibus emanant: per quæ, prædictio inſtitui poteſt. Excretiones, inquit Hip. liuidæ, quæ producuntur per necroſim caloris innati: cruentæ, ab aperto, eroſo, aut rupto aliquo vaſe: fatidæ, ob corruptionem, & putrilaginem humorum: bilioſæ, à bile impermixta, & ſyncera, quæ omnes cauſæ malæ ſunt atque ideo excretiones, malæ referentes naturam cauſarum tamen licet natura ſua tales extiterint, ſi commode exeant, nimirum die critico, poſt ſigna coctionis, quæ ſignificant naturam ſuperaſſe necroſim inceptam, & cauſam apertionis, eroſionis, aut rupturæ vaſorum, & putrilaginem: denique bilis ſynceræ ferocitatem, bonæ ſunt. theorema eſt



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

enim catholicum à doctissimo Dureto annotatum: in comment. in hunc Aph. excrementa, quantumuis mala in qualitate, quantitate, aut colore, bonis ægri rebus excerni, si die critico præcedentibus signis coctionis, & cum ægri adiumento excernantur: eadem est ratio cæterorum excrementorum. quare hoc Aph. In specie scribens de excrementis alui, vult intelligi de omnibus excrementorum generibus, vrinis scilicet, mucis, sputis, & sudoribus.

*Quibus per febres vrinæ perturbatæ sunt veluti iumentorum, iis dolores capitis, vel adsunt vel aderunt. 70. 4.*

VRinæ perturbatæ perspiciuntur, & similes vrinis animalium veterinorum: aut cum minguntur, aut multo postquam mictæ sunt. Hip. intelligit de vrinis recens mictis, quarum crassities, & perturbatio nascitur ex magna copia crudi humoris, qui cum sero humorum miscetur, & confunditur à calore vehementi, ebullitionem in illis suscitante, ex quibus multi flatus efferuntur ad cerebrum, qui aut præsentem producunt dolorem cerebri, aut mox futurum à distentione: & alteratione membranarum cerebri: quare hic Aphr. partim est diagnosticus, partim prognosticus; vrinæ vero quæ perturbantur longè post mictionem, perturbationis caussam agnoscunt, frigus externi aeris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Quæcunque febres non intermittentes tertio die validiores redduntur, periculosæ existunt: quoquo modo autem intermiserint periculum abesse significant. 43. 4.*

HIp. videtur comparare febres tertio quoque die vehementius affligentes, non intermittentes, cum aliis febrib. scribit enim has esse periculosiores, puto eas conferre cum febribus continuis quæ non exacerbantur tertio quoq; die: sed distantiores habent exacerbationes, vt quartana continua: verum continua quotidiana periculosior ea ratione esset, propterea quod frequentius exacerbatur, nimirum quotidie, respondemus biliosas febres continuas, quæ tertio quoque die exacerbantur periculosiores esse, non simpliciter ratione exacerbationis, sed quod maiora adsint symptomata, propter ardorem vehementiorem, à bile ortum, quàm in quartanis, aut quotidianis continuis: continuæ ergo omnes, qua ratione continuæ sunt periculo non vacant, quod natura continuo affligatur: periculosiores tamen sunt illæ omnes, quæ exacerbationem patiuntur, & præsertim illæ, quæ tertio quoque die exacerbantur, propter rationem descriptam: & quia propter continuitatem febres periculosæ sunt, sequitur à contrariis, vt quæ sunt intermittentes periculo careant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*In febribus, abscessus, qui in primis indicationibus non soluunt morbum, eiusdem longitudinem significant. 51. 4.*

FEbres longæ solent, vt & alij morbi diuturni, iudicari abscessu, vt breues excretione: verum vt abscessus per crisim transmutationis generari possunt febre cessante: ita symptomaticæ, ea non desinente: hic Aph. intelligitur de abscessu symptomatico, in febribus, qui postquam natus est, si is indicationibus subsequentibus non soluatur, morbi longiorem durationem significat cum vero sit abscessus, lõgi morbi symptoma, nimirum, quia ad vigesimum diem sit protensus, aut ad plures, Si non soluatur vigesimoseptimo die aut 34. aut quadragesimo longiorem multo morbum demonstrabit, propter naturæ debilitatem, quæ non potest materiam illius superare.

*Febricitanti si sudor crebro accidit, febre non deficiente: malum: prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem. 56. 4.*

SI febri superueniat sudor, febre non desinente, signum est sudorem illum esse symptomaticum, neque vacuatam materiam morbificam: nam ablata causa proxima, febris desineret: quare serosi humores, & fuliginosa excrementa, sudore illo euacuantur: aut tenuior pars materię, febrem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

excitantis, malum autem exiſtimat illum ſudorem Hip. quia prorogatur morbus, & humorem copioſum, in corpore redundantem oſtendit: quare medicus euacuationis indicationem debet ſumere per ſanguinis miſſionem, & purgationem, præſertim ſi humores habuerint orgaſmum.

*Corpus eorum, qui non omnino leuiter febricitant, perſtare, & nihil comminui, aut magis quam ratio poſtulet, extenuari, malum. Alterum enim diuturnitatem morbi, alterum imbecillitatem ſignificat.* 28. 2.

NOn omnino leuiter febricitare, eſt mediocriter febricitare: intelligit ergo Hip. de ea febre quæ eſt media inter vehementiſſimam, & paruam, in qua conſideranda moles corporis ægri aliquot diebus, poſt illius principium, quæ ſi conſiſtat in eadem quantitate aut ſi intra paucos dies fundatur & imminuatur, vtrumque malum eſt: nam illa extenuatio corporis ſubita, niſi ſit excuſatio alicuius euacuationis magnæ, demonſtrat humorem radicalem, & calorem innatum diſſipari: proindeque debilitatem virium, vires namque conſtituuntur, præſertim, in caloris naturalis copia. molis vero corporis permanentia, & immutatio ſignificat, humorum abundantiam, & eorum viſciditatem, & craſſitiem, vel copioſius alimentum: atqui illi craſſi humores non poſſunt ſubigi & diſſipari, niſi longo temporis tractu. Er-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

go morbus futurus eſt longus. vnde ſu-menda indicatio vacuationis, & præpa-rationis per attenuantia, & incidentia me-dicamenta, in copioſiore alimento inge-ſto, vtendum tenuiori victus ratione.

*Quibus febricitantibus ſanguinis fluxerit mul-titudo, quacunque ex parte, cum reficiuntur iis alui humectantur.* 27. 4.

HOlerius cenſet eruptionem hanc ſanguinis intelligi ſymptomaticam, aut criticam excedentem, in qua maior effluat ſanguinis copia, quam par ſit: vnde ſequitur refrigeratio partium, priuatione caloris diſſipati per hæmorra-giam, & præſertim ventriculi; qui frigi-dus ſua natura, maiorem à diminutione caloris perſentit noxam, ex qua naſcitur fluxus ventris lientericus neceſſario, cum non poſſit benè coquere alimentum, nec illud idem diſtribuere in corpus, propter imbecillitatem partium ex exhauſto affli-ctarum: huius euentus curatio, conſiſtit in corroboratione ventriculi.

*Febricitantibus ſi ſexto die rigores fiant, indica-tionem habent difficilem.* 29. 4.

TErtiana exquiſita ſeptenis ad ſum-mum circuitibus iudicatur. ſunt e-nim in ea motus tertiani. In doctrina Hip-pocr. ſexta dies raro perfectè iudicat. ſæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

pius non tantum imperfectè, sed infeliciter: hæ propositiones experientia sola probantur, apud Hippocrat. in Epid. Dromeadæ vxor sexto die rigorem est passa, deinde interiit. Hermocrates sexto die cœpit regio morbo laborare, vigesimoseptimo vitam cum morte commutauit. Gal. scripsit de tyrannide sexti diei. cap. 4 libro 1. de diebus decretoriis, quoniam autem aliquando contingit, sexto die morbos solui salutariter, huius diuersitatis rationem afferunt materiæ morbum committentis varietatem: In biliosis quippe ait tyrannum esse, in sanguineis non item. difficile vocat iudicium Hippocr. quia illi morbi in quibus rigores fiunt sexto die, aut patiuntur recidiuam, aut mala symptomata, aut mortem, aut denique longitudinem.

*Qui per febres lassitudinem sentiunt, iis ad articulos, & iuxta maxillas potissimum abscessus fiunt.* 31. 4.

MOrbi, qui finiuntur abscessu, sunt hi quorum materia expelli foras non potuit per aliquam excretionem: sed transponi, & transmutari, è partibus internis ad externas, in his vero natura debilis est, ab oppressione, & materiæ crassæ copia, quæ significatur lassitudine sponte nata in febribus: lassitudo enim significat pondus à quo grauantur partes & debilitatem illarum partium ab oppressione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

natam: possunt enim fieri in omnibus articulis & potissimum iuxta aures, quod in febribus præsertim longis, quales sunt hæ, vaporibus & humoribus oneretur cerebrum, à quo in emunctoria post aures, humores depelluntur, & fiunt abscessus.

*Quibus spes est ad articulos futurum abscessum, liberat ab abscessu vrina multa, crassa, & alba prodiens, qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam exire incipit: si verò sanguis quoque è naribus profluxerit, breui admodum leuatur æger. 74. 4.*

HÆc enim quouis modo exierint educunt materiam futuri abscessus.

*Quibus ex morbo conualescentibus pars aliqua laborat, eò abscessus fiunt. 32. 4.*

LAssitudo illa & dolor in parte perceptus, signum est humoris iam decumbentis in illam, ex qua abscessus fiet. fit autem hic, in morbis in quibus imperfecta fuit crisis, reliquiæ namque materiæ morbificæ in partes illas detruduntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Quibus arida & dura cutis obtenditur sine sudore moriuntur: quibus vero laxa, & rara, cum sudore vita defunguntur 71. 5.*

HOlerius vult hanc sententiam intelligi in febribus acutis, in quibus, qui antea erant molli cute, paulo post arescit cutis, vnde indicium sumitur humiditatis radicalis consumptæ, ex quo fit, vt moriantur exsiccati, conuulsi, aut trementes, sine sudore, quibus vero laxa cutis, & rara, ob copiam humoris cum sudore intereunt: laxitas enim illa ab humore superfluo nata, sudorem futurum denunciat per excretionem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# DE PROGNOSTICIS ad vterinos morbos ſpectantibus.

*Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi, perniciosum 30 5.*



Orbus acutus, aut eſt cum febre, aut ſine febre, quorum vterque periculi plenus eſt, morbus namque acutus omnis magnus proindeque periculoſus, periculoſior tamen cenſetur in muliere grauida ratione febris, & alimenti defectu: febris enim ipſa per ſe ſatis eſt ad fœtum interficiendum, Nam diſſipat corpus fœtus tenerum & molle, vnde abortus ſequitur, cum matris periculo grandi. Alimenti etiam defectu fœtus eſt periturus, quod magna fiat diſſipatio corporis, & vt plurimum ſœta cibi faſtidio afficiatur: Si vero morbus acutus fuerit ſine febre, vt apoplexia & conuulſio inedia, quæ ſequitur illorum affectus peribit fœtus: ergo verus eſt Aphoriſmus: dixit autem perniciosum, non omnino lethale, quod multæ ope auxiliorum euadant.

*Mulier*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Mulier in vtero ferens secta vena abortit, eoque magis si sit fœtus grandior. 31.5.*

HIc Aph. est prognosticus, quando scilicet fœtus per sanguinis missionem priuatur suo alimento, ex quo abortus nascitur, pertinetque ad confirmationem superioris Aph. Propterea quod in morbo acuto iuncto cum febre vt plurimum sanguis est detrahendus, ex cuius detractione sequitur abortus, vnde in periculum conijcitur grauida: inter omnia tempora fœtus, in quibus sanguinis missio est periculosa in grauidis postremum tempus, quando scilicet fœtus est grandior, maius periculum adfert: quoniam in eo maiori alimenti quantitate eget fœtus, quare in fœta debili, & præsertim postremis mensibus, non est detrahendus sanguis, metu aborsus: in sanguineis vero, & robustis grauidis, tantum abest, vt sanguinis missio abortum pariat, quin si vena eis non secetur, semel & pluries, patiantur aborsum, huius rei faciunt fidem multæ experientiæ, & illæ mulieres grauidæ, quæ pluribus mensibus fundunt copiose menstrua per venas vteri exteriores, quæ nimirum in collum vteri desinunt. Notandaq; hoc loco Celsi sententia, atqui (inquit) persuaserant sibi mulierem grauidam, cui sanguis fuerit detractus aborsum esse passuram, postea vero vsus ostendit, hoc non esse perpetuum. Quare, quando vires adsunt



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

& magna repletio, ſanguis etiam grauidis, eſt detrahendus.

*Mulieri menſtruis præter naturam deficientibus, ſanguis è naribus profluens bono eſt. 33 5.*

QVod morbis futuris remedio eſſe poteſt, id bonum cenſeri debet; atqui in menſtruis ſuppreſſis, ſanguinis è naribus fluxus auferendo, materiam illam corruptam futuram cauſam morborum, illis remedium eſt: ergo fluxus ille bonus, cum vero medicus debeat imitari naturam bene agentem, quæritur vtrum in ſuppreſſione menſtruorum debeat procurare, vt ſanguis, detrahatur ex naribus aut ex brachio, Reſpondemus, mulieres, quibus deficiunt menſes, aut ſunt plethoricæ ſolum, aut aliquo morbo laborant partium ſuperiorum phlebotomia egente, aut nulla plethora laborant, neque morbo iam dicto Ratione plethoræ ex brachio detrahemus, tum propter morbum dictum, quibus ſanguis miſſione ablatis à medico oportet: Deinde ex venis inferioribus, ſanguinem ducere, ſi abſit plethora, & morbus, qui indicet ſanguinis detractionem, per ſuperiores partes neceſſarium eſt ad prouocandos menſes venas aperire infernas, & in lochijs retentis, ſemper infernæ aperiendæ: ſuppreſſorum enim menſtruorum, & lochiorum curatio, eſt eorundam prouocatio.

*Mulieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus, solutio est. 32. 5.*

HIc Aph. est prognosticus, quod mēstrua apparentia in muliere sanguinem euomente, faciant, vt medicus vomitus cessationem, & sanitatem polliceatur futuram: therapeuticus vero; quod hic Aph. in vomitu sanguinis, ostendat quid sit faciendum, nimirum per reuulsionem aut menstrua prouocare, medicamentis & venarum inferiorum aperione.

*Mulieri vterum gerēti, si aluus multum fluat periculum est ne abortiat. 34. 5.*

INtelligendus est Aphorismus de omni alui fluxu excedente, lienterico, diarrhœico, & dysenterico, inter quos, duo, nempe disentericus & lientericus, grauiores existunt: Nam si multus fluxus alui periculum adfert aborsus, præsertim propter priuationem nutritionis ipsius fœtus, & imbecillitatem matris: Hi fluxus ergo grauiores existimabuntur, à quibus, maior fit priuatio alimenti, & matris debilitas: atqui in lienteria præripitur materia futuri sanguinis, in dysenteria autem sanguis iam confectus effunditur, quæ non contingunt in diarrhœa in qua deprauati humores euacuantur: tantum ergo maius aborsus periculum afferunt lienteria, & dysenteria,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

quam diarrhæa : vnde forsan aliquis colliget diarrhæam nullum periculum abortus minari. Respondemus aborsum pati mulieres, non tantum propter causas commemoratas : sed etiam ob vteri commotionem, agitationem totius corporis, materię præterfluentis infectionem, tum causæ magnitudinem : cum enim grauidis aluus sit astricta, consumptione humoris, oportet magnam subesse causam, quę magnum alui fluxum commouet, in fluxu ergo alui multo excitato in prægnantibus, oportet prædicere periculum aborsus, & remedia fluxui compescendo adhibere.

*Muliebri hysterica, aut difficulter parienti, sternutamentum superueniens bonum. 35. 5.*

HIp. lib. de morbis mulierum arbitratus est in passione hysterica, siue vteri suffocatione, vterum ascendere versus hepar: atque ideo diaphragma comprimere, parereque difficultatem respirandi : quare cum in sternutamento comprimantur partes ventris inferioris deorsum, tum ipsum diaphragma sternutamenti ope, vterus sursum elatus deorsum deprimetur. Quare bonum erit, atque idem sentiendum de partu, verum illa sententia, merito fuit à Gal. refutata lib. 6. de locis affectis, vt in nostra praxi explicauimus, quare secundum Galen. opinionem sternutamentum hystericis vtile est, duplici ratione: primo quod significet expultricem na-

turalem cerebri,& motricem arbitrariam, (quia sternutamentum non possit fieri sine respiratione:) excitari, secundo ob expulsionem auræ venenatæ hystericum paroxysmum suscitantis :ei vero quæ difficulter parit prodest etiam, per compressionem, à qua nascitur expulsio fœtus. Quare si superuenerit illi sternutatio, liberatio à morbo prædicenda est: si non superuenerit artificio excitanda: ergo prognosticus est Aphoris.

*Si mulieri vterum ferenti mammæ subito extenuentur, abortus sequitur.* 37. 5.

HIc Aph. est intelligendus de tempore quo mammæ intumuerunt :est autem illud circa tertium, aut quartum mensem, cum fœtus moueri incipit : at quo pacto possunt tunc temporis intumescere mammæ, cum fœtus iam grandior factus maiorem copiam sanguinis ad se alliciat. Hoc verum est, sed propter fœtus grandiorem molem partes ventris comprimuntur, proindeque venæ à compressione fit sursum versus sanguinis excretio ex Hipp. lib. de natura pueri : atque ideo lacte turgent mammæ, quæ cum sint turgentes, si subito gracilescant abortum significant secundum Hipp. rationem afferunt authores: Quoniam extenuatio illa mammarum denotat fœtum egere alimento, quare à mãmis attrahit, & tandem, cum deficiat alimentum abortus sequitur: verisimilis illa



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ratio videtur, ſed, vt attractio ſanguinis à fœta egente alimento, fit ſenſim: ita extenuatio paulatim debet contingere: quare intelligere eſt neceſſe illud (ſubito) intra aliquot dies: cum vero illa detumeſcentia ſignificet defectum alimenti, ad quem commouetur fœtus, & exitum ſibi procurat vinculorum ruptura, vnde ſequitur abortus.

*Mulieri geminos ferenti, ſi altera mamma extenuetur alterum abortum edet: & ſi quidem dextra mamma extenuata eſt marem, ſi vero ſiniſtra fœminam abortione excludit. 38. 5.*

CAuſa abortus explicata fuit, in ſuperiori commentario, verum ſupereſt dubitatio duplex, prima quî fit, vt vno excluſo alter fœtus in vtero maneat: ſecunda num in dextra parte vteri mares gerantur: primæ reſpondetur, vteri partes linea diſtingui, tum fœtum quemque ſuis tegi inuolucris, eſſeque vaſa vmbilicalia gemina, quare ruptis vaſis vmbilicalibus vnius fœtus, nō eſt neceſſe alterius frangi: cum vero vterus aperiatur, dum vnus egreditur, alter qui remanet incurrit maximum vitæ periculum, ab aëre externo, & ab agitatione: non tamen egreditur neceſſario: poteſt ergo fieri, vt vno fœtu egrediente alter remaneat. ferri autem mares in dextris, & fœminas in ſiniſtris, rationi conſentaneum eſt: propterea quod dextra ſunt calidiora ſiniſtris propter iecur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

mas autem fœmina calidior intensiue: Quare Hipp. pronunciauit Aph. 48. lib. 5. mares dextra vteri parte, fœminæ sinistra magis gestantur.

*Quibus in mammas sanguis colligitur, furorem significat. 40. 5.*

COlligitur sanguis in mammis per defluxum, qui ortum ducit à sanguine redundante, nimirum plethora genita in corpore, à causis proprijs sanguinem multum procreantibus, aut à mensiũ suppressione, vnde inflammatio producitur, à qua vapores ascendunt ad cerebrum calidi, & acres, furorem commouentes, per læsionem imaginationis.

*Si prægnanti fiat in vtero erysipelas, perniciosum est. 43. 5.*

ERysipelas internarum partium est morbus acutus, atqui per Aphoris. 30. libr. 5. mulierem grauidam prehendi morbo acuto lethale. esse autem erysipelas morbum acutum, potest facile probari ex feb. ardente coniuncta, nam si ex suppositione bilis in vtero parte densa & frigida collecta sit, in reliquis partibus redundare est necesse non sine ardore, peius autem existimatur erysipelas vteri, quolibet alio morbo acuto in grauidis nato: propter proximitatem fœtus, propinquiora enim magis afficiuntur; vnde ab incendio maius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

periculum impendet dissipatione spirituum,& penuria alimenti.

*Quæ præter naturam tenues, vtero gerunt, abortiunt: donec habitiores euaserint.* 44.5.

HIc Aph. referri debet ad præparationem abortus: cum autem præparatio denotet aliquid futurum, prognosticus esse potest hic Aph. qua ratione vero extenuatio est causa aborsus therapeuticus, quod indicet vterum incrassandum, optima victus ratione, & alijs remedijs: tenuis autem fit vterus defectu alimenti,& mater non tantum sibi sufficere, sed etiam fœtui debet: quare fieri non potest, vt nutriatur fœtus in vtero extenuato, præsertim grandior factus nutritur fœtus si vterus pristinum habitum recuperauerit.

*Quæ gestantes vterum, febribus corripiuntur, aut vehementer sine euidenti causa extenuantur, eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.* 55.5.

PArtus est perfecti fœtus exclusio: abortus vero imperfecti: febris, quæ prægnantibus accidit, aut est vehemens, aut lenta: illa contingit, aut multo ante partus tempus, aut partus tempore: primis mensibus adfert periculum abortus: ipsa namque vt dictum fuit per se satis est, ad fœtum occidendum, cum vero sit coniuncta cum totius corporis extenuatione, quę significat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ſignificat fœtum ſuo priuari alimento, & fœtæ debilitatem, magnum aborſus periculum portendit. ſi contingat tempore partus propter eaſdem cauſas, partum difficilem efficiet: ad partum enim neceſſarium eſt robur matris, & fœtus, tum viarum per quas egreditur fœtus mollities, at febre debilitas comparata eſt vtriuſque, & reſiccatæ viæ, cum extenuatum ſit totum corpus: ergo difficile pariet, & cum periculo propter cauſas explicatas: ſi vero febris lenta ſit, cum extenuatione vehementi, diuerſa ratione temporis poterit eoſdem effectus gignere: ſed non æque promptè. *

*Menſtruis abundantibus morbi eueniunt, & ſubſidentibus accidunt ab vtero morbi.* 57. 5.

PErtinet ad prædictionem hic Aphoriſ. nam ex ſuppreſſione, aut excedente fluxu mẽſtruorum, poſſumus morbos futuros prædicere: menſes vero excedunt comparati cum ijs, quæ naturaliter fluunt, & materiali menſura non poſſunt percipi, quia excipi illa non poſſunt: ſed ex relatu mulieris fluxum mẽſtruorum patientis, hi autem ſæpiſſimè plures mouentur in menſe magna copia. ex illis autem ſuperfluis naſcuntur morbi frigidi, ex debilitate caloris innati, debilitatur autem priuatione ſanguinis: morbi vero, qui inde naſcuntur ſunt hydrops, frigida & ſicca intemperies totius corporis: ſi vero retineantur



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

intra venas vteri, & reliquas venas corporis, aut corrumpuntur in vtero in quo inflammationes, scyrrhos, carcinomata generant, vel feruntur ad alias partes, in quibus procreant morbos varios pro diuersitate partis obcessæ, & materiæ morbificæ conditione: ex suppressione ergo aut fluxu excedente menstruorum tales morbos prædicere possumus.

*Si prægnanti tenesmus superuenerit, abortus est causa.* 27.7.

AVehementi compressione ventris inferioris fit expressio, & exclusio fœtus, vt in sternutatione superius declaratum fuit. Atqui in tenesmo est inanis compressio, & frequens: cum enim intestinum rectum pungatur & mordicetur, sese comprimit vna cum musculis abdominis, vt excutiat, quod molestiam adfert, ergo tenesmus, cum sit causa compressionis, potest expressione aborsum procreare, quocirca tenesmi causa auferenda est lenientibus medicamentis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# DE PROGNOSTICIS deductis ex excrementis & primo ex vrinis.

*Quibus in vrinis biliosa sedimenta, sed supra tenuia apparuerint, acutum morbum significant.32.7.*



N vrinis tres loci notantur, superior, inferior, & medius, in quibus potest accumulari crassior aliqua pars vrinæ: in suprema parte dicitur nebula: aut nubecula: in media eneorema: in infima parte sedimentum.quod biliosum, bilis dominium in venis significat, pars autem suprema tenuior bilem tenuem ostendit: atqui bilis tenuis acutos morbos procreat ergo veritas Aphorismi elucescit.

*Quibus diuersæ sunt vrinæ, iis vehemens fit in corpore turbatio.33.7.*

VRinæ diuersæ, & inæquales dicuntur quæ in diuersis partibus vrinæ, vario sunt dispositæ modo, in colore, substantia vrinæ propria, & contentis, aut diuersis temporibus: Nam vt æqualitas in illis significat naturæ supra materiam morbificam dominium, ita inæqualitas eiusdem



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

perturbationem, quod in quadam parte natura vincat, in alia ſuperetur, & alio tēpore ſuperet, alio vincatur: vnde periculum ſignificatur, ne æger pereat: Quocirca vt in æqualitate prædicitur ſalus futura: ita in inæqualitate periculum denunciandum. Quare pertinet hic Aphoriſmus ad prædictionem.

*Quibus in vrinis bullæ innatant nephritim, & longam fore inualetudinem, ſignificant.* 34.7.

BVllæ quæ in vrinis conſpiciuntur, aut naſcuntur quando vrina eſt extra corpus, ex agitatione, aut dum adhuc eſt in corpore, ex humorum aut liqueſcentium corporum efferueſcentia: poſſent ergo facilime ſeparari, & diſtingui, ſi quis ita mingeret, vt nulla fieret vrinæ agitatio, nimirum caput virgæ applicando fundo matulæ, & ſenſim vrinam effundendo, ſed quoniam mos eſt viris, & mulieribus ex alto in vas profundum mingere, aliunde quærenda eſt diſtinctio, ex eo nempe, quod quæ bullæ ex agitatione naſcuntur, cito euaneſcunt, quæ vero ab efferueſcentia in partibus internis concepta, diu perſeuerant: durationis huius cauſa eſt materiæ viſciditas, quæ flatum intercipit: Quare ſi bullæ illæ diutius innatent vrinæ, denotant materiam craſſam, & viſcidam, quæ cum duplex eſſe poſſit, aut pituita lenta, aut pinguedo, quæ naſcuntur ex pituita viſcida, calorem debilem auctorem agnoſcunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

quæ vero ex pinguedine fuſa, calorem vehementem: quæ cauſæ ſuis ſignis detegendæ, nam in bullis à pinguedine natis, adeſt ipſa pinguedo fuſa ſupra vrinę ſuperficiem ſuperiorem, & ipſæ bullę, colorem pinguedinis referunt. Quæ vero à pituita ortum ducunt, albicant: quoniam vero à viſcido humore pituitoſo trahunt originem, per renes tranſeat oportet illa materia, aut in his generetur, & vt plurimum propter meatuum, qui in renibus viſuuntur anguſtiam in ipſis remanet, vnde naſcitur nephriticus dolor diuturnus, quod materia ſit craſſa, nec facile poſſit domari, & cecerni: quo pacto autem hæc vera eſſe poſſunt cum ſequenti Aph. 35. lib. 7. ſcribatur, quibus in vrina adipalis ſuperficies viſitur, & conferta, ijs nephriticum & acutum morbum adeſſe ſignificat: Reſpondemus pinguedinem è renibus effluere confertim, non paulatim: in colliquatione vero totius corporis paulatim, & longo tempore: quare ſi confertim & pauco temporis ſpacio vrinæ ſuperficies ſit pinguis, ſignificat renũ morbum acutum: ſi vero longo tempore, colliquationem pinguedinis, aliarum partium corporis.

*Quibus pellucidæ & albæ sunt vrinæ malæ: maxime vero si in phreneticis appareant. 72. 4.*

MAlas non pronunciasset vrinas Hip. nisi adesset morbus periculosus: Quando ergo vrinæ illæ albæ & pellucidæ morbi acuti comites, morbi statum pessimum, aut eius in peiorem mutationem significant, malæ sunt, pessimum vocamus statum cum à virium imbecillitate morbi vi contracta, pellucidæ & albæ apparent: inter morientis enim naturæ certa sunt indicia, in peius mutationem vero, quando morbo acuto succedit phrenitis: in qua vrinæ pellucidæ funestę iudicantur: si vero ad tempus breue tales conspiciantur, sine mutatione status, morbi autem speciei non est pertimescendum, pręsertim quando haimorragia subsequitur, aut diarrhęa biliosa, translata bile qua tingebantur vrinę, ad intestina, cuius priuatione pallescunt, & albescunt.

*Quibus die septimo futura crisis est, ijs vrina rubram die quarto nubeculam habet, cæteraq; pro ratione. 71. 4.*

IN specie Hippocrates scribens de nubecula quarto die apparente in vrina, intelligit, in genere de omni signo monstrante coctionem inceptam, & naturæ supra morbum victoriam: vt potest intelligi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ex iis, quæ adiungit Hipp. & alia ſigna pro ratione. verum nubecula rubicunda ſignificatur coctionem inceptam? nubecula, cùm ſit contentum denſatum, coctionis principium demonſtrat, Rubra autem fit a bile, qua tingitur vrina: morbi vero bilioſi, cum ſint celeres, vt plurimum ſeptimo die terminantur, de reliquis ſignis eodem modo eſt iudicium ferendum. Quare ſi ſeptimo die futura eſt criſis, apparebunt quarto die ſigna coctionis, & naturæ ſuperantis: Quod perinde eſt, ac ſi diceret, cum aliquo die critico futura eſt criſis, in die illius indice apparebunt ſigna coctionis, & naturæ vincentis.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# EX SVDORIBVS.

*Sudores febricitantibus boni, qui manare cœperunt dic. 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. & 34. ij enim sudores morbos indicant, qui secus euenerint, laborem, & morbi longitudinem, aut eiusdem reditum significant. 36. 4.*



Ritici dies quidam sunt numero tantum, quidam numero & effectu: sudores, & omnes excretiones, quæ fiunt diebus criticis, numero, & effectu fuerant significatæ, & veræ crises existunt, numero autem possunt contingere imperfectæ, quare non licet colligere: excretio facta est die critico, ergo bona: verum si commota fuerit die critico prægressis indiciis coctionis, bona verè censeri debet.

*Frigidi sudores, cum febre quidem acuta mortem, cum mitiore vero morbi longitudinem significant. 37. 4.*

FRigidi sudores, cum acuta febre significant caloris natiui dissipationem, & interitum, nam febris, cum sit intemperies calida sicca, calefacit humores, à quibus emanant sudores calidi, cum vero frigidi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

profluant cum febre acuta, signum est refrigerationem esse natam in corpore, non aliunde, quam ex calore innato extincto: si vero febris sit mitior, ex qua non potest duci argumentum interitus caloris innati, sequitur, vt frigidus ille sudor sit soboles crudorum, & pituitosorum humorum, qui causa sunt longitudinis febris.

*Sudor multus, frigidus aut calidus semper fluens, frigidus grauiorem, calidus minorem morbum significat. 42. 4.*

MVltus sudor, & assiduus non potest promanare sine febre dissipāte humores, & in sudorē conuertente, si frigidus emanauerit, cū acuta febre, iā mortem pronunciare, expositum fuit in superiori Aph. si vero cum lenta febre effluxerit morbi longitudinem demonstrat; calidus, vero, nec mortem necessario, nisi sit ephydrωsis, nec longitudinem morbi significat: cum enim sit soboles calidi humoris, celerem morbum demonstrat: ergo calidi sudores mitiorem morbum ostendunt, frigidi grauiorem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# DE PROGNOST. quæ pertinent ad morbos externos.

*Eryſipelas foris intro conuerti malum, intus vero foras exiſtere bonum. 25. 6.*



HÆc propoſitio ſpecifica vniuerſalem denotat, nimirum omnem motum humorum, a partibus externis ad internas eſſe peſſimum: Nam damna partium interiorum, ſunt maiora quam externarum partium: tum ille recurſus demonſtrat debilitatem viſcerum, nullo enim modo recurrentem humorem exciperent, cum ſit contra naturam, niſi quia debilitatæ, non poſſunt repellere: quare recurſus ille damno, & debilitate partium eſt malus. ex contrarijs rationibus deducitur motum ab internis partibus ad externas concitatum eſſe laudabilem.

*Molles tumores, boni: crudi vero mali. 67. 5.*

MOlle & durum ſunt contraria, crudum cocto contrarium eſt: Quare ergo contraria conſequentia poſuit Hipp. ad diuerſa, non ad contraria: nam molle

eſt à crudo diuerſum, non illi contrarium, verum eſt in genere molle & crudum eſſe diuerſa, in apoſtematibus vero molle, quia ſignificat coctum contrarium crudo, quod eſt coniunctum cum duro, at ædemata ſunt tumores molles, & tamen crudi exiſtunt in principio. A repletione, omnis tumor præter naturam durus, progreſſu vero temporis, ſi materia coquatur, eius aliqua pars diſſipatur & moleſcit, quare cum tumores præter naturam ſunt cocti, molles exiſtunt, proindeque boni: cum ſignificent naturam domuiſſe materiam morbificam: cum autem crudi ſunt, duri in principio & proinde mali, quod natura ſit inferior cauſa morbifica.

*Quibus in meatu vrinario naſcitur tuberculum, ſuppurato eo, & rupto, ſolutio.* 82 4.

IN ſpeciali propoſitione generalem declarat, nimirum omnia tubercula & tumores præter naturam, qui ſuppurant, & rumpũtur, poſt ſuppurationem, eſſe ſalutares: ſpeciale autem exemplum & ſingulare eſt in meatu vrinario, in quo quia externa pars eſt ſpermatica, maiori ex parte raro ſuppuratur tubercula, caloris natiui debilitate.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Si in vulneribus prauis & magnis tumores non apparent, ingens malum. 66.5.*

MAgna dicuntur vulnera, & vlcera, quantitate, vt quæ ſunt longa, lata & pro funda, aut partis conditione, vt in magnis neruis, vel tēdonibus: Si in his tumor non appareat, quod ſit rationi conſentaneum ad ea vlcera propter dolorem, & partis debilitatem, fieri tumores, per defluxum humorum, conijcere oportet illos humores alio transferri, in partem ſcilicet nobilem, in qua procreabunt morbum grauem. Ergo ingens malum ſubſequetur: quare Hipp. Aph. 65. lib. eiuſdem ſcribit, quibus ſunt cum vulneribus tumores conſpicui, ij non admodum conuelluntur, nec inſaniunt. Quibus vero repente euanuerint, ſi quidem poſtica parte factum ſit, cōuulſiones, & tetani accidunt: ſi vero à fronte, inſania, lateris dolor acutus, empyema, & dyſenteria ſi rubicundi fuerint tumores. Eadem eſt ratio tumoris retrocedentis, & non apparentis cum apparere debeat, vt enim materia non apparentis tumoris quādo conuenit, ad partes fertur internas, ita & materia retrocedentis. ſi ergo retrocedat, per poſticam partem in ſpinalem medullam, & cerebrum, naſcitur tetanus: illius autem motus ſignum eſt dolor in illis partibus perceptus. Si vero humor aſcē-dat, per partem anteriorem, in cerebrum, fit inſania læſa imaginatione. ſi in latus fe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ratur, suscitatur lateris dolor acutus: si humor effundatur in capacitatem thoracis empyema: Quando autem tumor retrocedens fuerit rubicundus, facta methastasi materiæ in intestina, oritur dysenteria: tumoris namque rubor significat sanguinis redundantiam, à qua dysenteria producitur.

*Pertusa perfectaue vesica, cerebro, corde, septo transuerso, tenui quopiam intestino, ventriculo, iecore, lethale est.* 18.6.

PArtes, quæ numerantur in Aphorismo possunt vulnerari aut in superficie, aut transfigi, & perforari: Hipp. ait harum partium transuerberationes, & pertusionem esse lethalem, vulneratio superficialis earum, non est omnino lethalis. Verum hæ partes enumeratæ non sunt vnius naturæ, sed dissimilis: aliæ namque sunt sanguineæ, vt cor & iecur, aliæ vero spermaticæ, vt reliquæ fere omnes: diuersa itaque est ratio huius euentus in illis. Vesica constat corpore rotundo, membranoso, & collo oblongo, admodum carnoso, si corpus eius transfigatur, omnino lethale vulnus existet, quod vesica sit exangu s, nec coalescere possit, at ossa sunt exanguia, tamen rupta coalescunt. Respondeo in ossibus nihil esse, quod impediat tophum, in quiete namque tenentur: vesica suos habet motus coarctationis, & expansionis præterea in vesica vrina continetur, quæ non tantum

coalitum impedit : ſed dolorem ſua acrimonia ſuſcitat, ex quo in partem fit fluxio, & inflammatio. in collo illius conceptum vulnus ſanari, & curari poteſt, vt videre eſt in illis, è quibus euulſus fuit lapis è veſica. Vidi ego dum aquis aliquando Sextiis eſſem, ducem corcicum cui inflictum fuerat vulnus, transfigens, & transfodiens veſicam, ſanitati priſtinæ reſtitutum : ſed rara non ſunt artis. Cerebri perſectio, vt plurimum eſt funeſta, propter cerebri motum continuum, & membranas, quæ facile inflammantur. Vidit tamen Gal. Smyrnæ adoleſcentem è cuius vulnere, cerebri ſubſtantia fluxerat perſanatum, vidimus, & nos auenioni in Xenodochio S. Bernardi, cuius caput ſagitta eorum, qui ad papagallum collimant fuerat percuſſum, è cuius vulnere magna copia ſubſtantiæ cerebri effluxit, euaſit ſinę vitæ diſcrimine. In corde ſuperficiaria vulnera & profunda ſunt lethalia, ob præſtantiam cordis, & motum continuum vehementem. In ſepto tranſuerſo duæ ſunt partes, membranoſa & carnoſa, in illa vulnera ſunt funeſta, in hac ſuperficialia poſſunt coaleſcere, profunda vix vnquam. Tenuia inteſtina pertuſa, nunquam ſanantur, craſſa, quia carnoſa conglutinantur. Ventriculus pertuſus non poteſt curari, quod inflammatio dolorem ſequatur, vnde mors. Leue vulnus in toto illius corpore poteſt ſanari, prę terquam in orificio ſuperiori ob doloris acerbitatem, propter ſexti paris neruos. Iecoris vulne-
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ra, si eo deducta sunt vt sanguis effluat, nunquam curantur, nisi valde superficiale sit vulnus, & mox sistatur sanguinis effluuium: sanguis enim qui effunditur corrumpit partes interiores, ipsumque etiam iecur: Vnde & mors contingit. multæ sunt aliæ partes eiusdem naturæ, quarum vulnera profunda, sunt lethalia, vt arteriarum & venarum maiorum, quod sanguis spiritualis, & venalis totus per ea vulnera effundatur.

*Persectum os aut cartilago, aut neruus, aut genæ tenuis particula, aut præputium, neque augetur neque coalescit. 19 6.*

PArtes quæ in hoc Aphorismo recensentur sunt omnes spermaticæ: sed eius naturæ vt earum sectio lethalis non sit: faciunt vero ad commode viuendum non ad vitam simpliciter, vt aliæ: quare Hipp. ait tantum, nec augeri, nec coalescere, si diuidantur omnino: partes namque spermaticæ non coalescunt prima intentione, ex materia primaria, scilicet, ex semine, vti sanguineæ, quæ semper possunt resarciri, ex sanguine proprio. secundaria vero possunt per porum siue tophum qui fit ex alimentorum excremento.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Si vlcera annua, aut etiam diuturniora fiant, os abſcedere neceſſe eſt, & cicatrices cauas fieri. 45.6.*

CVm diuturna ſunt vlcera os à pure & ichore vlcerum corrumpitur, cuius corruptio caries appellatur: Quoniam autem corruptum eſt os, neceſſarium eſt partem carioſam ſeparari à ſana, os namq; viuum conſortis mortui, impatiens eſſe ſolet. oſſis ſuppuratio abceſſus dicitur, hinc ſequitur, vt huius vulneris cicatrix ſit caua: nam ex ſuperiori Aph. os cum ſit pars ſpermatica reſarciri non poteſt, nec porus generari niſi in fractis oſſibus: propterea ſupra os denudatum ſuo perioſtio, caro generari nullo modo poteſt, ad carnis nãque productionem opus eſt membrana, ſupra quam ſanguis roris modo ſparſus concreſcat.

*Circumglabra vlcera, maligna. 4.6.*

HIc Aphoriſ. audiendus de vlceribus, quæ in partibus naſcuntur piloſis, cũ glabricies ſit capillorum priuatio, & caſus: fiunt glabrę partes, quoniam pili decidunt, corroſis eorum radicibus, ab humoribus corruptis, & malignis, à quibus vlcera circumglabra & dipilata, maligna appellantur, ob cauſæ ea generantis malignitatem.

Diuturnas

*Diuturnas curanti hæmorrhoidus, nisi vna quapiam seruetur periculum aquæ inter cutem, vel tabis impendet. 12.6.*

SAnguis namq; qui effluere solebat per hæmorrhoidas, per palyndromen, recurrit ad partes nobiles, & officiales, in quibus excitat varios morbos, inter quos numeratur ab Hipp. aqua inter cutem: si quidem sanguis recurrat ad iecur: copia namq; suffocat calorem innatum iecoris, vnde refrigeratum parit hydropem; & tabem: nam recurrando ad pulmones acrimonia exulcerat, à qua exulceratione phthisis controuersia hic nascitur magna inter medicos, de qua fuse disseruimus in nostra praxi: satis nobis erit, si huc transferamus, quæ illuc fuere constituta, quare si laborans hæmorrhoidibus vetustis, sit obnoxius morbo comitiali melācholia morbo, aut tali affectui, qui sanari possit, aut inhiberi hæmorrhoidibus appertis, illis non sunt claudendæ: scribit enim Hipp. 11. lib. 6. melancholia, & nephritide laborantibus hæmorrhoides superuenientes bonum. Si hæmorrhoidum fluxu detentus sanus sit reliquo corpore, vt qui redundet tantum multo sanguine, ob mutilationem, aut otium, illis sunt omnes claudendæ, dummodo detrahatur sanguis iusta copia per interualla ex brachio, & victus ratio instituatur parcior, & commoda: nam in sanis fluxus consuetudo est fugienda: quia ex il-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

lo immoderato fluxu, idem morbi naſcuntur, qui ſolent oriri ex immoderato fluxu menſtruorum, ſi claudendæ ſint, id præſtandum paulatim, & vna poſt aliam obturanda ſubita namque mutatio naturæ moleſta eſſe ſolet.

*Si in ventrem ſanguis præter naturam effuſus fuerit, is ſuppuret neceſſe eſt. 20. 6.*

PErtinet ad prædictionem hic Aph. quatenus ex ſanguine effuſo in capacitatem aliquam extra vaſa prædicitur, pus futurum: per ventrem, autem intelligit Hipp. omnem capacitatem, quæ eſt extra venas, arterias, & cordis ventriculos, in quibus ſanguis naturaliter continetur: ſuppuratur autem, quia ſuo calore natiuo deſtituitur: vnde corrumpitur, non ſtatim, ſed primo nigreſcit, quo tempore vapores ex ſe fundit malignos deinde ſuppuratur.

*Qui calui ſunt, iis varices magni non fiunt, quibus verò caluis exiſtentibus varices ſuperueniunt ij rurſus capilati fiunt. 34. 6.*

QVod ex vna præſenti affectione, alia futura, aut non futura prædicatur, facit, vt ad prædictionem pertineat hic Ahp. & quia in eo agitur de affectionibus externis inter chyrurgicos Aph. cenſeri debet: ratio autẽ illius talis eſt, quãdo fit trãſlatio humoris melancholici è partibus inferioribus ad caput, varices magni non fiunt. At

qui fiunt calui propter humoris melancholici in capite corruptionem, in illis fit eiuſmodi tranſlatio humoris melancholici. Ergo qui fiunt, calui, ea ratione in his varices magni non fiunt, a contrariis demonſtratur ſecunda pars Aphoriſ.

*Quibus occulti cancri adſunt, non curare melius, curati enim citius intereunt: non curati vero longius vitam trahunt.* 38.6.

CAncros occultos intelligit non vlceratos, quos cancroſos tumores multi appellant, eos ſcilicet, qui in ſuperficie corporis naſcuntur: nam, qui ſunt in penitioribus partibus corporis manu chyrurgica curari non poſſunt. Curatio autem cancri duplex ſuſcipitur, nimirum, aut ad mitigationem, aut ad extirpationem, mitigari ſemper debent occulti, & euidentes, curari non item omnes, eſt tamen vbi curatio admittitur, nempe extirpatio cancri. Quando pars eſt huiuſmodi, & cancri conditio, vt omnes illius venæ tanquam radices ſecari poſſint, & penitus extirpari: Vt in mammis, & alijs partibus exterioribus, ſine inciſione inſignis alicuius nerui, venę, aut arteriæ: tunc enim metu ſymptomatum curatio non eſt aggredienda, reliquos cancros melius eſt mitigare, quam curare: nam ſi cura tentetur mortem adfert irritatione, & incremento ſymptomatum.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Si omentum exciderit, necessario computrescit. 58.6.*

IN vulneribus magnis ventris inferioris prælertim hypogastrij, in quibus musculi sceātur, & peritoneū, omentum egreditur, & quia pauco calore innato præditum est, quodque non consueuit aëris iniuriam pati, cito putrescit: quare illa corruptio prædicenda est, eoque pacto ad prognosim pertinet hic Aph. quare ex illo sympt. futuro debet medicus procurare promptam omenti in suum locum repositionem.

*Quibus diuturno dolore Ischiadico vexatis femoris caput, coxa excidit, ijs femur contabescit & claudicant, nisi vrantur. 60.6.*

LVxatio perfecta ossis femoris rara est, potest tamen contingere, quando Ischiadicus dolor est diuturnus, dolore nāque diuturno debilitatur pars illa, ex quo fit vt mucus in ea colligatur, qui causa est, vt caput ossis fœmoris excidat, aut à dolore excitatur defluxio humoris pituitosi in partem illam, à quo humectatur ligamentum, longiusq; fit, quam par sit estque causa luxationis ossis fœmoris, ex ea luxatione sequitur fœmoris tabes duabus de causis, primo quia luxatum os comprimit, venas, arterias & neruos, quibus ad crus alimentum, & spiritus deferebātur secunda partis

quiete, qua non attrahitur alimentum: Adde quod motus articulis eſt valde vtilis, ait enim Hipp. laborem articulis, ſomnum vero viſceribus, maxime conuenire: ſequitur etiam inde claudicatio breuitate ipſius cruris, cum in poſteriorem partem excidit os, aut illius prolixitate, quando in partem interiorem: prætera adeſt magna cruris debilitas, ex qua accidit vt corpus ipſum ſuſtinere non poſſit, horum ſymptomatum curam totām collocat Hipp. in vſtione, quod remedium topicum eſt, ſed methodi ratio poſtulat, vt generalia particularibus præponantur: Quare purgato corpore, ſanguineq; detracto, ad illa, quæ parti apponuntur, deſcendendum eſt. Ea Hipp. cōplexus eſt vnico remedio, nimirum vſtione, quæ primo fit cucurbitulis cum magna flamma, ſecundum locum ſibi vendicant veſicatoria, tertium pyrotica potentialia. Vltimum ferrum ignitum ſiue cauterium actuale, his enim detrahitur humor, qui cauſa erat claudicationis.

*Propter os ægrotans caro liuida, malum. 27.*

HIpp. ſupponit carnem liueſcere propter oſſis morbum: Quare non eſt quod Hollerius dicat, ſæpe in tophis luis venereæ, & podagricorum caro liueſcit, cum interim os ſit integrum, non enim ſcribit Hipp. carne liueſcente, os corruptum eſſe: ſed ſi propter oſſis morbum caro liueſcat malum, an vero ſi caro liueſcat



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

malũ ſemper? eſt ſemper malũ: nam liuor à necrosi, necroſis vero omnis mala, oportet ergo intelligere oſſis cariem, & corruptionem eſſe detectam, in qua ſi caro vlceris liueſcat, malum, quia ſignificat corruptionem ab eſſe propagari in carnem.

*Ab oſſis nudatione eryſipelas, malum. 19. 7.*

NAm eryſipelas ſubortum ſignificat carnem ſcatere colluuiæ bilioſæ, quæ carnis regenerationem impedit, ergo malum.

*Ab eryſipelate putredo, aut ſuppurato, malum. 20. 7.*

ERyſipelas eſt tumor præter naturam à bile natus, ſuperficiarius, qui vt plurimum diſſipatione materiæ finitur. Quocirca ſi putreſcat pars abceſſa eryſipelate, aut ſuppuretur indicium eſt malignitatis materiæ, à qua mortificatio timenda, quæ mala cenſeri debet.

*A forti in vulneribus pulſu hæmorrhagia, malum. 21 7.*

SI pulſus magnus in vlceribus, nō aliunde proficiſcatur, quam ex multo ſanguine arteriali præcalido arteriam inſignem mouente, cui ſuccedat hemorrhagia, non poteſt eſſe, niſi periculoſa, quia arteria magna aperta non facile clauditur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

Sanguis vero calidus, tenuis ſpirituoſus effluit excedenti copia, ex quo pars exulcerata debilitatur, & intermoritur.

*Ab oſsis vulnere deſipientia, ſi in vacuum vſq; penetrauerit. 24. 7.*

HOc Aph. loquitur Hipp. de vulnere oſſis capitis: quod ſi fuerit diuiſum vſq; ad capacitatem cerebri deſipientiam habet comitem propter ſanguinem, qui in illam capacitatem effunditur, qui dum corrumpitur inflammationem parit, in meningibus, ex qua delirium, & deſipientia.

DE DIEBVS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



# DE DIEBVS CRITICIS, ET DE CRISI.

*Index ſeptimj 4. ſequentis ſeptimanæ 8. initium, ſpectandus quoque eſt 11. ſiquidem, Is 2. ſeptimanæ 4. eſt, rurſúmque 17. ſpectandus, Is enim à 14. 4. eſt & ab 11. ſeptimus.* 24. 2.

VT qui ſunt dies critici facilius intelligatur, animaduertẽdum eſt, in morbis tria dierum genera notari, quidam enim ſunt dies critici, in quibus fiũt criſes, & iudicia morborum, alij indices, qui indicant, & ſignificant dies criticos futuros. Alij denique intercidentes, & intermedij, qui neq; ſunt critici, neq; indices, hoc Aph. deſcribit Hip. indices, & criticos ad 17. vſq; hos dies experientia ſola probauit Hipp. fracaſtorius alios conſtituit, ratione & experientia comprobatos, cuius doctrinam explicabimus, poſt enodationem aphoriſmorum de criſi.

*Morbi acuti iudicantur intra dies quatuordecim.* 23. 2.

MOrbi dicuntur acuti, vſque ad 14. vltra quem ad 20. appellantur acuti ex decidentia, poſt 20. longi nominantur.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Quibus crisis fit, nox quæ accessionem præcedit grauis, quæ vero subsequitur leuior solet existere. 13. 2.*

ANte crisim pugna summa intercedat est necesse naturæ & morbi: Quod scilicet materia morbifica cocta excernatur: præcedit autem hæc pugna crisim, ferè semper 24. horarum spatio: scribit verò Hip. illam pugnā superuenire nocte præcedenti, quia vt plurimum noctes in morbis soleant esse diebus molestiores, propter solis absentiam, qui sua præsentia naturam nostram multum iuuat, quare naturæ molestior esse solet morbus noctu, quàm interdiu, nox autem quæ sequitur crisim est placidior, quod materia morbifica fuerit expulsa.

*Quæ à morbis post crisim relinquuntur, recidiuos morbos facere consueuerunt. 12. 2.*

MAteria quæ relinquitur post crisim corrumpit alimenta, tandémque ita crescit materiæ corruptæ copia, vt morbi recidiua generetur, cuius signa sunt sitis, ciborum fastidium, vigiliæ, somni turbulenti, lassitudo totius corporis, si crisis accidat, nullis antecedentibns signis coctionis, fiatque die non critico.

## DE CRISIBVS.

CRISIS in morbis iudicium significat. Crisim antecedit naturæ, & morbi contentio, in qua natura, aut victrix, aut

victa remanet. Crisis Gal lib. de crisibus, est subita in morbis mutatio, ad salutem, aut ad mortem, fit enim, per motum alicuius materiæ; vel dicitur difficillimum morbi tempus, in quo natura pugnat cum morbo violenter. Vocatur etiam terminus, quia morbi historiam finit & terminat: quo significato crisis lethalium morborum mors dicitur. extra mortem vero, morbi finiuntur crisi, aut solutione: Solutio est morbi terminus, per insensilem dissipationem factus. Crisis verò ex Gal. sententia fit, aut per manifestas excretiones, aut per effatu dignos abscessus: 1. ab Auicen. lib. de crisibus, vocatur crisis excretionis, 2. permutationis: locum enim tantum mutat materia morbifica in abscessu, neque excernitur: verum in hac permutatione, ex eodem Auicen. non semper nascitur abscessus quem exituram appellant eius interpretes. Verum non raro abit in paralysim crurum, dolores spinæ dorsi, testiculorum, Morbum regium, & alia symptomata: crisis hæc permutationis, est à partibus internis corporis ad externas, aut saltē remotas à principibus, in morbo facta expulsione sine vlla sensibili excretione, quam sequitur aut abscessus, aut graue aliquod symptoma: Idem Auicen. lib. de crisibus duas causas assignat permutationis materiæ in crisibus, quarum vna est materiæ morbificæ dispositio, qua redditur inepta ad expulsionem, ob eius crassitiem, & copiam: 2. sita est in debili-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tate facultatis expultricis: fit ergo, vt materia, quæ cocta fuit non poſſit extrudi extra corpus: ſed potius deponitur, & transfertur in partem aliquem ignobilem in qua producit, aut abſceſſum, ſiue tumorẽ præter naturam, aut parit aliquod graue ſymptoma. Ab accedentibus naſcuntur aliæ multæ criſeos diuiſiones: Alia enim perfecta dicitur, in qua nihil morbi materiæuè morbificæ in corpus relictum eſt: alia imperfecta, in qua manet aliquid materiæ morbum committentis, & natura perfecte materiam morbificam non ſuperat: hæc vero, aut tendit ad mortem, aut ad ſalutem. Alia tuta, quæ ratione tantum à perfecta diſtinguitur: quod ſcilicet ſine periculoſis ſymptomatis accidat, eius cõtraria periculoſa eſt: alia manifeſta, in qua excretio quædam, vel abſceſſus inſignis eſt conſpicuus; Alia occulta, quæ fit ſine excretione, aut abſceſſu euidenti. Criſis fit in ſtatu, in quo naturæ, & morbi ſumma ſunt omnia. Ex quibus colligere licet morbos in ſimplici intemperie conſiſtentes non poſſe criſi finiri: quod in illis nulla poſſit euacuatio, aut abſceſſus, vel graue aliquod ſymptoma excitari ex materiæ tranſlatione in aliquas partes.

## DE CAVSA EFFICIENTE CRISEOS.

QVæ nobis experientia offert, omnia rationum momentis fulciri non poſſunt, qualia ſunt, quæ ab occultis emanant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

proprietatibus, nonnulla tamen per experientiam comperta, rationibus possunt stabiliri. Dies critici maiorum experiētia, & quotidiana recentiorum probãtur, quorum rationem & causam detegere sunt conati authores medicinæ, celebriores. Experiētia certè varia est apud Hip. Nam alios recenset dies criticos in prognost. & aphorismis, alios in epidem. Incertam autem esse experientiam dierum criticorum apud Hip. arguit illa sentẽtia in prog. Ille namque postquam enumerauit crisimos dies scribit, neque verò horum quidquam integris diebus exacte numerari potest, cum neque annus integris diebus numerari soleat. Adde quod in recensendis illis diebus per quaternarios bis sit repetendus idem dies 1. septenario. In secundo vero non est repetendus. Præterea Archigenes laudat magis 21. diem in criticis, Hip. vero 20. enumerationem illam diuersam dierum criticorum ex Hip. Antonius petitens cap. 4. lib. de ratione dierum criticorum, refert ad diuersam naturam dierum criticorum & intercidentium, In quibus propter errata dies contingunt, tum ad diuersam Hip. sententiam, qui artis præcepta colligens, multa scripsit diuersa ab his, quæ in Aphorismis, & prognosticis iudicio maturiori pronuntiauit, Verum errores non sunt occasiones, cur crises commoueantur diebus intercedentibus, sed potius symptomaticæ excretiones. Atque si Hip existimasset, male assignatos fuisse



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

dies deſcriptos in Epidemijs, ſenior & doctior factus correxiſſet. Hæc cum fracaſtorius vir doctiſſimus contemplaretur, cerneretque eo, quo erat perſpicaci ingenio, omnibus fere diebus, pro varijs morbis criſes concitari, rimatus eſt, & forſan nactus aliam rationem dierum criticorũ, quam authores antiqui, ad quam probandam, vt verus philoſophus vtitur quibuſdam ſuppoſitionibus, quas ( quia paulo videntur obſcuriores ) breui explicatione elucidare inſtituimus. Neque in refutandis pythagoreorum, & aſtrologorum ſententijs immorabimur: Cum à fracaſtorio lib. de criſibus fuerint confutatæ. Neque Augerium ferrerium ſequemur, qui ſub finem libri de diebus criticis, dum non poteſt criticos dies omnes, ad numeros, ad aſtra, & ad vim naturæ corpus humanum gubernantis referre, cenſet illa omnia eſſe admiſcenda, ſimilis illis, qui metu erroris & defectu, pluribus chordis ſuos arcus armare conſueuerunt, in quo perſpicuè cernitur incertitudo ſententiæ illius. Admonet autem fracaſtorius auditores ſuæ doctrinæ, & aſſeclas, his verbis. cap. 15. libr. criticorum. Diligenti opus eſt cura, anticipationéſque paroxiſmorum conſiderandæ, & dies multo ſtudio enumerandi, & quid in vnoquoque noui accidat. Quare contemplatio hæc, atque ars negligentis medici non eſt, aut ad lucrum euolantis: ſed ſolertis & amantis philoſophiam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

Prima ſuppoſitio, Duo ſunt, quæ expulſionem morbificæ materiæ faciunt, vnum eſt diſplicentia, ſiue irritatio, ſtimulúſque, quem corruptus iámque inimicus humor in membra ingerit ſenſu prædita. Altera eſt digeſtio, hoc eſt, præparatio, quæ requiritur, ſi expelli debeat criticè humor: omnibus namque partibus à natura datum eſt, vt expellant, quod noxium exiſtit. expulſio vero cenſeretur inutilis ſi materia non eſſet cocta. Ergo natura ſine arte docta ad ſui conſeruationem coquit ante quam expellat, vt probauimus capite de expurgatione, in noſtra methodo. Vtrumque ergo cum ſimul conuenit, tum maxime expulſio humoris corrupti fit. Quamobrem doctè pronunciatum eſt à Gal. in paroxiſmis, & circa morborum ſtatum maxime excitari criſes: in paroxiſmo enim ſtimulus atque irritamentum fit maximum: circa ſtatum vero concocta materia eſt. Cur autem cogatur ſæpe natura ante tempus noxia excernere diximus, cap. citato noſtræ methodi.

2. Suppoſitio. Rariſſime fit vt transeunte in humores vitio aliquo vnus tantum humor corrumpatur: Nam vt plurimum duo, vel plures vitium idem concipiũt, aut ſimul, aut aliquo interpoſito tẽpore, quippè humores in maſſa ſanguinis, qui intra venas cõtinetur, confuſi commiſtiq; ſunt. Verum in illa ſunt quodãmodo actu, & quodammodo potentia: potentia

quidem, quia ad minimas & indicibiles particulas ſecundum formam, ſiue formales redacti ſunt: nec monſtrari poſſunt ſeparati, hoc eſſe phlegma, illud bilem, Illud ſuccum melancholicum, niſi particulæ, quæ ſunt ſimul in maſſa ſeparentur, & tunc actu exiſtunt. Igitur propter vicinitatem confuſionemque eorum, rariſſimè fit, vt infectionis cauſa, pluribus non fiat communis. Incipiētibus autem his vitiari, Tum quod corruptũ eſt ſecernitur, quantum fieri poteſt à reliquo, quod ſincerum eſt, ita operante natura quæ ſolet, quantum in ea ſitum eſt, corrupta ſeparare, à non corruptis, aut enim quod ſanum eſt, & integrum expellit id quod corruptum: Natura enim conſortis corrupti impatiēs eſſe ſolet: aut quod corruptum eſt proximum ſanum vitiat. in ea ſecretione, humorum particulæ cumulantur, ac ſenſibilem copiam conflant, quæ dum cocta eſt expellitur criticè per diuerſas partes.
3. Suppoſitio, Dum natura ſeparat corruptos humores, & actu facit, ita interdum illi ſeparati, ab incorruptis, ſiue in vaſis, ſiue extra vaſa miſcentur, vt vnam conficiant formam, ſiue vnam maſſam, ſiue molem, vnumque motum dent, ac morbum vnum, qui rationem dominantis ſequitur, vnde cholerae nothæ, pituitæ nothæ, & melancholicæ nothæ contingunt, à quibus morbi deſumunt ſua nomina, vt tertiana notha: æquum namque eſt, vt humor qui quantitate reliquos ſuperat, trahat

alios in ſuum motum,& impetum,non tamen ſine reſiſtentia,& alteratione: nothæ namque tertianæ longiores ſunt propter adiunctum humorem pituitoſum, & habent alia ſymptomata, quàm puræ & ſimplices tertianæ. Sæpiſſimè autem, non vnam omnes formam,& molem conflant, nec vnum motum dant,nec morbum vnũ, ſed plures: vnde morbi compoſiti ſunt: fit autem illud quando ſunt ſeparati in diuerſis partibus,aut è vaſis in habitum corporis propelluntur. Si igitur, qui peccat humor ſimplex & vnus tantum ſit, aut plures quidem,ſed in vnam maſſam redacti,tunc nulla dies criticorum ratio eſt expectãda, ſed paroxiſmi ſoli conſiderãdi quotidiani, tertiani, quartani, in quos cadent criſes. Quando ſcilicet materia erit cocta. Cognitio huius rei non poteſt haberi, niſi ex paroxiſmis, & intra aliquot dies. In hoc tamen videtur contradictio, quod nulla criticorum dierum ratio ſit expectanda. Sed in eos paroxiſmos cadere criſes. Nam in quibus diebus fiunt criſes, Illi critici ſunt appellandi : ſed intelligenda eſt hæc ſententia nullos dies criticos eſſe expectandos ex his,qui ab Hip.fuere deſcripti nempè 7.14. 20. & ſimiles: & animaduertẽdos ſolum paroxiſmos,ſecundum, quos continget morbi ſolutio,quæ criſis poteſt dici: Ita in quotidianis, quotidie poteſt fieri, In tertianis 3. die, In quartanis 4. ad hoc Augerius ferrerius aduertere debebat. Non enim negat fracaſtorius vnum



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ſimplicem poſſe peccare humorē, ſed plures corrumpi humores poſſe fatetur, in vnam formam redactos, qui producūt paroxiſmum ſecundum quem iudicantur: ſi ſint humores ſub vna forma, eſt aliquis humor dominans, cuius motum cæteri ſequuntur vt in notha tertiana. At vero vbi plures peccant humores, & non ad vnam formam redacti, ſed confuſi, ſolum propriam naturam ſeruantes, & circonſcriptionem, tunc ſperare poſſumus certos dies videre: in quibus criſes permultæ fiant, alias in quibus rariſſime, Alias in quibus medio modo ſe habeat natura ad criſim: quorum omnium cauſam ac certam rationem habere poſſumus: ac talis eſt maior morborum pars; quoniam vti rarum eſt vnum ſimplicem humorem peccare, ita & plures ad vnam formam conuenire perrarum eſt: Quare in multis morbis, aut criſes videri poſſunt, certis diebus, aut motus ſaltem humorum. Verum facilis, aut difficilis vnio humorum corruptorum contingit ex diſpoſitione eorum. Nam quia pituita non omnis, ſed liquida humida ſit, & facile idcirco poſſet diuidi in minimas partes, miſceri cum reliquis facile poteſt: ſuccus melancholicus, ineptiſſimus ad mixtionem, quia ſiccior & terreſtrior eſt, nihil tamen prohibet, & phlegma ſeorſum morbū facere nec cum alio miſceri: ſed hoc eſt rarum, & melancholicum ſuccum coire, & miſceri cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

alio in vnam formam, Cum ſcilicet attenuatur: Omnes namque humores conſiſtentia liquidi ſunt in venis, licet quidam craſſiores, alii liquidiores. Corolarium tertiæ ſuppoſitionis tale eſt.

Cum plures humores in morbis peccant non autem ſub vna forma, accidit quidem interdum, vt vnus illorum manifeſtum paroxiſmum producat, cholera quidem tertianarium, phlegma quotidianum, ſuccus melancholicus quartanarium: Vnde & morbi manifeſte compoſiti ſunt. Interdum autem accidit, vt non omnes manifeſtum dent paroxiſmum, ſed aliquem eorum latentiorem edant, quod motus ille, ſit ſubobſcurus & ſubo ccultus, eius autem obſcuritatis plures cauſę ſunt: 1. pauca quãtitas humoris, quare leuiter exacerbat. 2. quia ille humor per moras putreſcit, & ſenſim, vnde nec horrorem excitat, nec calorẽ acrem apportat. 3. quia ſuperueniat maiori febri, à qua minor mot⁹, & afflictio obſcuratur. Ex his ſequitur contrariorum lege, vt ſi illud quod mouetur multum ſit repẽte, & cum violẽtia inuadat nõ ſenſim, & per articulas, nec maiori alteri morbo ſuperueniat, manifeſtũ edit paroxiſmũ, & manifeſtę inde prodeũt febres cõpoſitę, vt hemitritei. Alia quidem ex cholera alia ex ſucco melancholico, qui ergo præcipuè peccat humor manifeſtũ edit paroxiſmũ, qui vero minime pręcipuè, latentiorẽ ex his ratio omniũ dierum criticorum pẽdet omnis, & eorũ quæ contingunt in morbis.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

Ista vero primis diebus dignosci non possunt, cum nos lateat humorum peccãtium numerus & forma eorũ, hinc modus mixtionis, tum denique quantitas: Quare ad dignotionem, est opus pluribus diebus. Quam ob causam Galenus cap. 2. libri 1. de crisibus scribit, neque absurdum est, ad duplicis morbi cognitionem duobus opus esse diebus, sicut si triplex fuerit, tribus. Animaduertat ergo medicus istos motus, quo facilius dignoscat, quibus diebus sit futura crisis, paribusne, aut imparibus. Verum cum phlegma quotidie moueatur, qui fit vt quidam dies, sint placidi & sine motu, etiam in compositis morbis: respondet fracastorius, Quod phlegma ipsum, vt plurimum formam vnam cum alijs cõstituat & pauca quantitate sit, Ita vt aliorum motum tantum sequatur, dominantium scilicet. Differunt autem dies ratione molestiæ, nam in quibus vnus humor tantum mouetur, acerbi sunt, acerbiores in quibus duo, in quibus omnes acerbissimæ. Ex quibus sequitur posse fieri crises in diuersis diebus aptissimas, aut esse illas in quibus concursus fit humorum omnium. Acerbissimus enim tunc paroxismus fit, & & stimulus irritamentumque naturæ maximum, quod est necessarium, vt crises fiãt ex prima suppositione: At illud contingit potissimum, secundum motum succi melancholici: Nam crisis non fit nisi præparato, & cocto humore toto, non potest autem esse perfecta coctio: donec quod

crassius est, ac segnius, coctum digestumque sit: crassior vero, & segnior omnibus humoribus est succus melancholicus. Quare fit vt potissimũ circa humoris melancholici motus, & crises animaduertantur, in illis morbus vbi confusus, & non perfectè alijs mixtus peccat humor melancholicus, hoc argumentum appellat sophisticũ Augerius ferrerius, rectius appellasset non necessarium, probat autem quod ex indefinitis componatur, quæ nisi particulariter sumpta veritatem nõ continent: logici distingunt æquipollentiam indefinitarum propositionum, secundum materiæ conditionem Indefinitæ enim in materia necessaria respondent vniuersalibus: In contingente verò particularibus. At propositiones illæ sunt ex materia necessaria compactæ, ergo æquipollent vniuersalibus: Et vt contrarium probet ferrerius, inquit, neque enim in crisibus omnium humorum est expectanda coctio: sed eius tantum qui morbum induxerit. Nec fracastorius aliter sentit, vt demonstrauimus in explicatione tertiæ suppositionis: Sed supponit si succus melancholicus peccauerit simul cum reliquis humoribus, crisim non fieri, nisi cocto & præparato succo melancholico, quod est necessarium. Si namque crisis excitetur incocto humore melancholico, non esset crisis, sed symptomatica excretio. Quare argumentum est necessarium in sorite. Quod autem opponit. Omne quod cras-

ſum eſt, id melancholici ſucci permixtionem non habere: ſuam enim quiſque humor habet craſſitudinem, Quam ex propria ipſius materia metiuntur, omnes medici, non ex alterius permixtione. Hoc veriſſimum eſt, ſed fracaſtorius intelligit ſimul cum craſſa natura domatu eſſe difficilem ſuccum melancholicum, vt poteſt colligi facile ex longitudine morborum à ſucco melancholico naſcentium: & quod ſuccus melancholicus ſit præditus duabus qualitatibus natura penitus contrariis. In hac itaque fracaſtorij propoſitione conſiſtit huius opinionis pręcipuum fundamẽtum eſt autem maximè probabile. Cum quotidie cernamus multos morbos conſtare pituita, & bile, & tamen vno die ſimul & ſemel fieri perfectam criſim. Tardius nãq; pituita coquitur quàm bilis, & ſuccus melancholicus, quam reliqui: ſatius tamen videretur ſi natura coctum expelleret. Deinde ſemi concoctum perfecte coqueret, nam oneris parte leuata, melius quod reliquum eſt coqueret. Verum excretioni & coctioni non poteſt ſimul vacare natura, vel minus in cõmodum ſequitur ex mora materiæ coctæ cum coquenda, quã ex depulſione iam coctę, coctione perſeuerãte, materiæ reſiſtentis crudæ vt explicauimus in noſtra methodo. Fracaſtorius confirmat hanc opinionem cap. 10. de criſibus ſua experientia, tum ab his, quæ ab Hipp. & Gal. ſunt conſtituta: Quid enim aliud inquit monſtrant dies illi, qui

indicatiui dicuntur, qui omnes quarti ſunt à die in qua perfecta criſis futura eſt. Quid aliud indicat totus progreſſus criſeorum qui non per ſeptenarias, ſed per quaternarias periodos pergit. Quarum duæ, ſeptenarium vnum faciunt. Hipp. quoque rem iſtam innuere fere videtur cum dicit quaternarios motus in morbis expectandos eſſe: Ne quis autem exiſtimaret ſe velle Hipp. & Gal. decretis ſtudio contradicendi refragari: reſpondet ſe eos motus non fingere, demonſtraſſèque ſæpiſſimè cœetaneis ſuis: Hippocratem & Gal. etiam eoſdem dies vidiſſe: ſed ſors ita tulit, vt ad cauſam non aduerterint: & fortè Hippocratem animaduertiſſe aſſeri poteſt ex iis quæ ſcripſit in Epidemijs. lib. 1. in quo numerat dies criticos 4. 6. 8. 10. 14. 28. 30. 40. 60. 80. 100. Et alios pares: in aphoriſmis autem multos pares, alios impares. His addenda eſt ſuppoſitio alia, ex doctrina fracaſtorij: vt patebit in progreſſu: Morbi diuiduntur in acutos mediocres, & chronicos, ratione durationis acuti ſunt, aut acutiſſimi qui quarto die finiri poſſunt, aut mediocriter acuti qui 7. aut ſegniter acuti. qui 13. verum Hippocrates ſcribit in Aphoriſmis acutorum morborum 14. eſſe extremum. Reſpondemus fracaſtorium in his obſeruaſſe motum humorum præſentium, ſecundum dominium humoris melancholici in quibus decimus-

tertius est finis : si inceperit corrumpi 1. die : Decimus autem quartus est, principium mediocrium secundum fracastorium quorum finis est 20. & secundum Hip. acutorũ simpliciter dictorum : Nam ex eius doctrina alij sunt simpliciter acuti, qui finiuntur 14. die alij exacte acuti, qui 9. aut 11. alij peracuti, qui 7. alij simpliciter peracuti, qui 3. & 5. Mediocres autẽ morbi ex fracastorio, vt dictum est, cum incipiãt 14. finiũtur 20. deinde chronici incipiũt. 21. ad 40 & vlterius. His positis subijciamus exemplum fracastorij, sit inquit, qui principaliter humor peccet cholera; Non quidem pura, sed mixta cum phlegmate sub forma vna, cum melancholico succo vicinitate sola, & confusione. Subpeccet autem melancholia, ac non multa, nec valde crassa; sed subtilior, in summa, quæ cito terminum dare possit, datum hoc est possibile, vnde nihil absurdi sequitur. Igitur putrescente cholera, simul quidem & eodem die computrescet, & melancholicus succus, morosusque satis erit paroxismus ille primus, vtpoté duorum humorum, Dixit autem satis, quod ex Hip. in principio & fine mitiora sunt omnia. 2. autem die quietissima redibit. In qua nullus humorum motus fiet: non suppositum fuit cõmixtam esse bilem cum phlegmate sub bona forma. At 3. paroxismum choleræ sentiet, nam in mixtura illa dominatur bilis; tamẽ crisim non faciet, tum quia stimulus nondum est maximus tum, quia

totum non est digestum: non concurrit enim motus melancholiæ cum motu bilis. 4 autem dies motum habebit melancholiæ sed latentiorem, quia non multum est id quod tunc mouetur de melancholia, partim quidem, quia sub peccat solum, partim quia eius putrefactio quodãmodo pẽdet à cholera, qua cessante in die quarta aliquem quidem motum dat melancholia ob concepta putrefactionis semina sed paruum & latentem, quoniam origo & fomes putrefactionis quiescit. Quinta verò choleræ motum videbit. Sexta nullus, aut perexiguus erit. At verò 7. acerbissimum omnium paroxismum apportabit, concurrẽtibus simul humoribus, qui peccabant omnibus, ac paulò largius melancholia, quoniam ex alterius contagione & impulsu nõn parum motionis recepit, qua die quoniam digesta est materia, & præsertim succus melancholicus. Fuerat enim suppositus subtilis & paucus, proindéque natus cito terminum recipere contingit itaque crisis: stimulus enim est acerbissimus, & totum digestum: In aliis autem diebus, aut stimulus abfuit, aut digestio. Hæc doctrina progreditur per suppositionem, ac medicus practicus ex effectis colligit causas. Progredietur ergo ex molestia & placabilitate paroxismorum & dierum: ex quo sequitur, non posse quidquam certò prædicere de crisi futura, nisi antea obseruarit aliquos dies: & licet excrementa signa suggerant humorum

dominantium, tamen modos non poſſunt ſignificare mixtiones diductæ in vnam maſſam & formam, ac confuſionis humoris. Securitatis ſigna, periculi, & mortis ſumentur ſemper ex coctionis ſignis, cruditatis, & ex aliįs quæ ab Hippocr. deſcripta ſunt. quibus autem diebus ſit futura criſis, ex his quæ diximus ſecundum fracaſtorium patet: reuertamur ergo ad illius ſuppoſitionem; per præſcriptum (inquit) exemplum monſtrari fortaſſe poteſt, quomodo 4. & ſeptima dies criticæ ſint. At quo pacto & 11. & 14. & 20. & 21. criticæ ſunt demonſtrari quidem non poteſt: Nam per aſſignatum exemplum, melancholicæ motus ſunt, 4. 7. 10. 13. 16. 19. 22. 25. & 28. in quibus nec 11. nec 14. 20. 21. 27. locum habent. Ergo quo pacto, & hi quoque ſint critici expediamus: Cum experientia ſit probatum criticos eſſe. Primum autem illud ſcilicet ponamus, quod cum reliquis humoribus peccet ſuccus melancholicus. Præterea prætermittamus melancholicæ modos, & conditiones multiplices eſſe: ſæpè enim pauca eſt, ſæpè multa: Interdum craſſior interdum tenuior, modo ſoluta magis, modo calidior, modo frigidior, ſimiliter ſe habet cholera. Ex hac diuerſitate fit vt putreſcente cholera, quandoque ſimul & eadem die, cumputreſcat & melancholia, modo in principio paroxiſmi, modo in medio, modo in fine: Quod tunc ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ximè fit, cum pauca eſt ſubtilior & calidior magiſque admixta bili: tum enim in ipſam citiſſimè tranſit infectio. nam quæ pauca, facile & cito vincitur, ſubtilis, cito penetratur, calida concipit putredinem. Interdum non ſimul & eadem die moueri melancholia accidit, ſed ſecunda, interdum tertia, fortaſſe etiam & quarta ſolum. In acutis enim morbis prima die motus fit vtriuſque humoris, acuti namque morbi, à tenuiori, pauca & calida materia fiunt. In tardis autem, quoniam craſſiorem illi, & multam, & tenacem frigentemque materiam habent, moueri quidem melancholicam accidit, non niſi tertio, etſi materia craſſiſſima ſit: fortaſſe non niſi quarto: in mediocribus, autem morbis quorum & materia eſt media quantitate, craſſitiéque, talibus accidentibus, die quidem ſecunda recipitur in melancholia putredo. Igitur ſi 1. die cum bile, ſimul & ſuccus melancholicus putreſcat, & commoueatur, quod in acutis fit morbis, Quartanarij quidem erunt periodi. 4. 7. 10. 13. raro enim vltra hos protenditur ſtatus in acutis. Si ergo quam acutiſſima ſit ægritudo, tum criſis in quarta fieri poteſt, his enim materia pauciſſima eſt, & ſubtiliſſima, & feruens: ſi vero acuta ſegnior ad decimum-tertium protendetur eius ſtatus, ſi mediocriter acuta ſit ad 7. in media autemcum ſit 7. in ea finitur, qui mediocriter acutus eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

morbus. Media verò sæpiùs, quam extrema contingunt. Inde fit vt in genere acutorum, dies septima maximè critica sit: rarius enim est, morbum quam acutissimum esse, rarius quoque si acutus est, vt ad 13. producat statum. Nititur reddere rationem fracastorius eius, quod experientia constat nempè 7. Inter omnes dies criticos, esse maximè & sæpissimè criticũ, quod scilicet, media sæpius contingant, quam extrema, Tamen eorum, quę maiori sunt numero aliqua sæpius contingere rationi est magis consentaneum. Atqui extrema plura sunt: medium vnum est, 7. autem dies est vnus inter quartũ & 13. Quare sæpius contingent extrema quam mediũ: certè medium absolutum quantitatis vnicum est, à quo æqualiter extrema distant, at medium per cõparationem ad extrema multiplex est: Illa nempè quæ sunt à 1. vsque ad aliud extremum sunt omnia media, Qua ratione 3. & 4. & cæteri ad 13. essent medij dies, fracastorius non ita intelligit: sed ratione causæ morbum committentis: vt ostendit ratio subsequens nẽpé, quod rarius sit morbum quam acutissimũ esse, quia vt plurimum multa in morbis accumuletur materia crassa, rarius quoque, vt acutus perducat suum statũ ad 13. quod experientia comperitur. Nam si acutus sit, raro materia est ita crassa & multa, vt perducatur eius coctio, ad 13. Quare septimus cum medius sit inter 1. & 13. frequentiores crises habebit. Ergo ratione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

materiæ 7. eſt medius, & frequẽtius criticus. Septenarij numeri dignitati attribuitur, hic effectus à pluribus medicis: verum res quæ illo numero contingunt, ſeptenarium faciunt nobilem, nec res ipſæ à numeris accidentibus, quippe & quantitatibus, ſuam mutuantur dignitatem, quod nec agant nec actionum poſſint eſſe inſtructæ: ſi tamen quandoque ad 13 prorogetur criſis, totus dierum progreſſus ita ſe habet 1. quidem dies triſtis eſt, & inæqualis duos enim habet motus, 2. placidior redit, niſi duplex ſit febris. 3. motum choleræ ſentit. 4. melancholiæ, ſed latentem ac moroſum: tamen 5. reuerſionem choleræ videt. 6. mitis pergit 7. valde quidem acerba eſt, non tamen criſim dat: quoniam non planè digeſtus eſt melancholicus humor 8. ſuauis dicitur 9. grauior, propter cholerę motum 10. latentem habet cholerę motum 11. choleræ manifeſtum. 12. placida eſt At 13. ſæuiſſima & criſim adfert cum irritamento maximo: digeſta enim materia eſt: ſi vero non 1. die, ſed 2. ſolum motum dederit ſuccus melanch. qui mediocribus morbis acutis accidit, tum quaternarij fiunt paroxiſmi. 2. 5 & 8. 11. 14. 17. 20. vltra hos autem rariſſimè in mediocribus producitur ſtatus. Critici autem ſunt 11. 14. 17. & 20. ſed 11. criticus quidem eſt, ſi in hoc genere materia non multa ſit, & acutis propria: ſi vero in eodem genere craſſior ſit: & chronicis vicinior, tum criſis ad 20. protendi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tur: si vero in omnibus mediocris ad 14. Quoniam autem media sæpius quam extrema contingunt, Inde est quod 14. maximè critica sit in mediocribus morbis, modo 11. modo 17. Illud tamen non ignorandum in tertianis, quæ simplices sunt, pares dies raro criticos videri: eo quod in ijs paroxismus non accidat, nisi anticipatio forte fiat, quare, vt nec 4. nec 14. In his criticæ valde videntur, quoniam tamen in tertianis sæpè accidit, vt non simplices sint: sed duplices tum & sæpè continuæ, nec non, & anticipatio quoque paroxismorum contingat, Ex his euenit, vt 14. dies multas habeat crises & 20. sunt enim ex Gal. lib. 2. de crisibus: Quædam febres, quæ semper anticipant, & quæ subsequuntur. Hoc si attente legissent, qui fracastorij sententiam improbant, non absolute pronunciassent illum contendere, nunquam humorem purum etiam impermixtum in corpore reperiri. Subit autem mirari in progressu imparium dierum eos progredi ad 11. vsque, alternatim vno scilicet tantum die placido interiecto: ab 11. vero vsque ad 20. interponi duos dies nisi fiat 11. mutatio materiæ, vt humoris biliosi in melancholicum succum, quod falsum percipitur: Nam in omnibus non fit mutatio in illum, multæ enim crises per excretiones biliosas cernuntur. An quia ad 11. vsque motus est factus: secun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

dum bilis dominium, Nam bilis 3. quoquo die commouetur, atque intra illos cocta fuit, quæ expelleretur tota, nisi succus melancholicus superesset concoquendus. Cum ergo matura perfectè non expellat, nisi cocta tota materia morbifica, perseuerat in coctione succi melancholici cessantibus paroxismis à bile natis. Et tunc progrediuntur paroxismi, per quaternarios: Qui vero in hoc progressu sint leues dies, qui acerbiores qui acerbissimi ex subscripto schemate, quã manifestissimũ potest esse 1.(2)3.4.(5)6.7.(8)9.10.(11)12.13.(14)15.16.(17.) 18.19.(20.) At si 3. solũ die motum incipiat melãcholicus humor, quod in chronicis morbis fit, in quib⁹ crassa valde, & tenax & multa materia est: (Quod autem tale existit tarde coquitur,) periodi tunc erunt 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30. raro autem vltra contingunt crises: maxime autem harum criticus erit. 21. 27. & 15. si enim materia crassa quidem ac tenax extiterit, pauca autem, ad 15. status erit: si vero crassa ac valde multa ad 27. si mediocris ad 21. quod idcirco sæpius euenit, quoniam in medio est, quales autem dies sint futuri ex hoc schemate percipies. 1.2.(3.) 4.5.(6.) 7.8.(9.) 10.11.(12.)13.14.(15.)16.17.(18)19.20.(21.) Concludit ex his quæ dicta sunt & soluit difficultates, in quibus primæ notę autores sũt versati, redditque rationem breuiter omnium criticorũ dierũ: hoc loco excusãdus est fracastorius; quod vtatur nominibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

admodum diuersis ab illis, quæ solent vsurpari à Gal. & aliјs medicis, vocat enim morbos ad 21. pertingentes chronicos, comparatione facta cum acutis, cum antea absolute sumendo diuidat morbos in acutos mediocres, & chronicos, acuti proprie finiuntur. 13 mediocres 20. Chronici verò incipiunt 21. ex his omnia illa monstrari possunt, quæ circa crises spectantur. At primum illud, cur tam 20. quam 21. critici sint. In quo tantopere Gal. laborauit mēsem nimirum componit suo instituto accōmodatum, & horas subtrahit, vti libet: Patet enim in mediocribus 20. esse criticum, in chronicis 21. vter autem criticus magis sit, difficile est certè iudicare, casu enim fieri potest, vt aliqui plures in 20. alij plures in 21. crises perspexerint propter quod Archigenes magis 21. probarit. Hip. vero 20. illud quoque percipi potest, cur dierum aliqui præstent principatu, aliqui sint principatu minores; & cur alij critici sint, alij non, alij medio modo se habeant. Si 5. die incipiat putrescere melāch. succus ita progredietur, & sic in alijs licet numerare. 1. 2. 3. 4. (5.) 6. 7. (8). 9, 10. (11.) 12. 13. (14) 15. 16 (17.) 18. 19 (20) 21. 22. (23.) 24. 25. (26.) 27. 28. (29.) 30. a. 5. duc. lineam ad 8. ab. 8. ad 11. ab 11. ad 14. à 14. ad 17. à 17. ad 20. a 20. ad 23. a 23. ad 26. a 26. ad 29. Ergo inter omnes criticus maximè dicebatur 7. Quod idcirco fit, quoniam maxima criseωn pars in acutis fit morbis in iis enim & stimulus ingens fit & materia subtilis est,

media

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

media vero vt demõstratũ fuit frequẽtius cõtingunt, quam extrema: ab hoc secũdus principatu ponebatur, 14. Nam etsi quartus & 13. in acutis versantur rarius tamen est, vt morbus acutissimus sit, qui soluatur quarto rarius item vt in acutis simpliciter status protendatur ad 17. quam ob causam 14. crebriores crises videt, quod in morbis mediocribus sit, & in his maximè criticus existat: propter eãdem causam & 20. & 21. & 11. magis etiam critici sunt quam, 4. & 13. inter ipsos autem. 20. & 21. superant principatu 11. nam quamquam 11. sit in mediocribus morbis, rarius tamen fit in illis vt status acceleretur ad 11. hoc loco per mediocres oportet intelligere mediocriter acutos, qui à 4. ad 11. protenduntur. à quo ad 13. sunt segniter acuti, aut criticus in mediocribus est 21. vt si 2. aut 5. incipiat moueri melancholicus humor. Notandáque illa distinctio criticorum dierum in criticos numero, & effectu in quibus scilicet re vera contingunt crises: numero autem in quibus possunt accidere: non critici autem erant plures 6. 8. 10. 12. 16. 19. 22. 23. 25. 26. 29. ac 6. rarissimè crises videt, quoniam in eo nec choleræ motus fit, cum sit par, neque melancholiæ, nisi forte in periodis 31. diei, Id est quando succus melancholicus incipit moueri. 3. die, at in illis multo lõgior spectatur crisis, qua de causa in sexto crises non fiunt, nisi forte aut paroxismus 7. diei anticipet, aut materia furens sit, aut abun-

dantiſſima, neque vt diximus propriè cri-ſes ſunt: ſed magis violentæ quædam & ſymptomaticæ excretiones, propter quas rationes conſueuit dici ſæuus, & tyrannus dies: 8. quoque propter eandem cauſam, non eſt criticus, quod nec bilis motus, nec ſucci melancholici experiatur, niſi in periodis 2 diei, id eſt quando motus humoris melancholici incipit 2. die morbi, Quod ille humor non poſſit eſſe coctus 8. die, quare in illo commouebitur quidem, ſed non expelletur: numero ergo erit criticus, non effectu. 10. vero bilis motum non habet, quamobrem fit, vt quamquam motum 1. diei habeat, non poſſit tamen critica eſſe, quod motus humoris melancholici, non fiat eo die niſi latens. At 12. & par eſt & motum habet humoris melanch. 3. diei, id eſt quando incipit moueri ſuccus melanch. 3. die morbi, quod ſerius criſim faciat. 16. periodum habet 1. diei, Sed ad illum non protenditur ſtatus in acutis morbis. Conſimiliter & 9. motus habet primi diei, vnde nec ipſe criſim videt ſed neq; 22. eadē de cauſa. Vigeſimus tertius autē periodum habet 2. diei Sed in medio cribus morbis, dictum eſt, ſtatum non protendi vltra 20. Ad 25 autem tranſirent periodi primi diei ſi morbus non ante diiudicaretur. Idem de 26. & 29. dicatur. de 28. vero dubium apud antiquos fuit: Multi enim prætulerunt 27. quod quidem verum eſſe poteſt: ſi forſan melancholicus ſuccus die quarto moueri in-

cipiat sic enim periodi erunt, 4. 7. 10. 13. 16. 19. 22. 25. 28. 31. quem motum nos semel obseruauimus in cōtinua febre, in qua duplicis tertianæ correspondentia fuit: acerbæ autem dies censentur esse. 7. & 10. in quo exacerbationes tertianæ cessarunt, exinde veró, cum continua, quartanarij motus solum nobis apparuere. Sæuissimi verò omnium fuerunt, 22. 25. & 28. in quo æger supræmam obijt diem, medij autem dies erant, 3. 5. 9. 13. 18. ac 3. 5. & 9. Ita se habent, quoniam in tertianis puris & ijs, qui non puræ sunt habent, aut vnam formam, multæ contingunt crises. 13. vero ad criticos propinquus est, vt diximus, quoniam, & impar est & inter periodos, primæ diei cadit: quare & ipse dies nōnullas crises videt. 17. aut periodos habet secundi diei, & in eo sæpe crises etiam fiunt. at 18. periodum sortitur diei 3. & quasdam etiam crises dat, vel anticipantibus paroxismis, vel in duplicibus tertianis: Indicantes vero dies sunt in quibus materia non est omnino digesta, proxima tamen vt digeratur: quoniam vero natura, quoties irritatur expulsionem nocentis tentat, vnde fit, vt certis diebus crises quędam appareant imperfectæ: aut potius aliquæ excretiones, vt per vrinas, quæ eius crisis nunciæ sunt, quæ perfecta futura est. Vt patet ex Hipp. In aphoris. nubecula enim rubicunda 4. die in vrinis apparens. 7. die crisim futuram prænunciant. Crisim quidem atque expulsionē tentat natura quo-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

niam ſtimulatur. imperfectam autem facit expulſionem, quia non omnino digeſta eſt materia in parte etiam expelletur, propinquiſſima vero digeſtioni cum ſit, nunciat quidem in ſequente periodo, futuram eſſe perfectam criſim: Atque idcirco indicantes dicuntur illi dies, in quibus imperfectè contingunt excretiones propinquiſſimæ vero perfectis: omnes autem quaternarij ſunt à die perfectæ criſis, ſecundum Hipp. quod apertiſſimè monſtrat, rationem criſeon à melanch. humoris motu potiſſimum dependere. Dixit potiſſimum & ſæpius repetiuit: ne putent reprehenſores fracaſtorij, eum negaſſe, morbos alios habere progreſſus, quam eos, qui à ſucci melãcholici corruptione naſcuntur. Quartus igitur nuncius eſt ſeptimi, 11.14. & 17.20.18. vero 21. vnde autẽ nos & 8. indicatiuũ fuiſſe ea in muliere quæ tertiana febre laborabat cognouimus, cuius acerbiores dies fuere. 2. 5. 8. Erat enim mota melancholia 2. die, in 8. autem vrina facta fuit ſanguinea, vnde indicauimus in 11. criſim futuram eſſe per menſtruum ſanguinem, quod non ſecus atque exiſtimaueramus euenit, nihil enim prohibet & eos dies, qui vt plurimum indicantes ſunt quandoq; principes in criſi fieri. Hinc poſtremò argumento facto ad confirmationem motus humoris melancholici, Difficillimum eſt reſpondere, cum ſit ex Hipp. Nam licet ſeptimus ſit impar, eſt tamen quartus à quarto: interponũtur nimirum

duo dies in quibus quiescit humor melancholicus qui commotus fuit, 4. & 1. die morbi: huc vsque fracastorius totus fuit in probatione proprię opinionis de dieb⁹ decretorijs numerandis, secundum motus melancholici humoris, in morbis in quibus ipse dominatur: nunc vero docet præuidere futuras quietes, & molestias dierum, tum etiam crises: hoc autem (inquit) non est cuiusuis inuestigare: sed solertis & amantis philosophiam. (inquit,) itaque percurandum est si fieri possit, primam ægritudinis diem rescire: si igitur, circa initia datum fuerit accedere, ad hæc attendere eum oportet, qui eius progressum noscere volet. In primis videat qualisnam ægritudo oblata est, acuta mediocris an chronica, quod ex his signis cognoscet, quæ à medicis tradi solent, vt nos declarauimus in nostra methodo cap. de motu morborum. quod si acutam esse ægritudinem viderit, materiamq; aeream & tenuem, siquidem cholera pura iudicabitur, ad impares tantum dies animaduertat: neque enim in ea melancholiæ periodi, separandæ erunt. Quid dilucidius dici potest, quid autem stupidum magis fingi, quam non aduertisse hæc verba: At si non syncera fuerit bilis, sed sordidior quodammodo, admixtione succci melancholici, tum separari poterunt quaternarij illi motus, qui ordinem in crisibus præbent. Quare ad primum paroxismum aduerte, si simplex est, Si tempora seruat sua, an



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

magis, ſi aliquam recipiat diuerſitatem. Quod ſi circa augmenta aut ſtatus, aut declinationem, contrahi rurſus pulſus videatur, atque extrema frigere, ſuſpicio quædam eſt, motam ſimul atq; eodem die fuiſſe melancholiam: quamquam id non eſt neceſſarium, poſſunt enim hæc eadem, aut ex motu phlegmatis, aut ex alia parte choleræ prouenire. Verum quarta dies in eo dubio certitudinẽ dabit: ſi enim debeat ea ſine febre fieri, triſtem tamen apportarit diem, & occultam quandam, ſine vlla cauſa manifeſta, ægro perturbationem immiſerit, magnum quidem iudicium erit die prima motam ſimul fuiſſe melancholiam, quare inſpecta vrina, & alijs digeſtionis ſignis, ad 7. animaduerte, In quo aut criſis fiet, ſi indicata in quarta fuerit, aut ægritudo ſoluetur, aut ſtatus erit. Si vero prima nullum dederit ſignum, commoti melanch. humoris, percipias autem ſignis materiam craſſiuſculam, tunc indica morbum vltra hebdomadam tranſiturum, quare nec quartum nec ſeptimum diem curato, Si opus fuerit ſanguinem mittere, aut pharmacari: Neque enim iſte teneat timor ne impedias criſim. Ad ſecũdum vero diẽ reſpice, in quo vide, ſi quidquam commoueatur an nihil, quod ſi aliquid commoueatur videto, an clarus ſit paroxiſmus & priori ſimilis: forte enim febris erit duplex, an magis latens motus, & ſine manifeſta cauſa triſtior, quo caſu & ad quintum reſpicito ſi ſæuum reportarit

paroxiſmum, ſi longum, inæqualem, non humoroſum: ſed ſiccum cum declinatione longa, moroſa, quæ ſi contigerit, dubitare nihil debes motum die 2. fuiſſe melancholicum humorem. computa igitur periodos ſecundæ diei, & metire materiam, qualitatemuè eius, & quantitatem, ac digeſtionem: ſi enim mediocris in omnibus viſa fuerit, ad 14. portẽdit ſtatum: ſi craſſa medio modo. At multa ad 20. ſi tenuior & non multa ad 11. cognoſces autem, & quæ quietiores, & quæ acerbiores dies erunt, nimirum, in quibus fit motus alicuius humoris, aut plurium. At ſi neque prima, neque ſecunda die, ſigna vlla videris motæ melancholiæ, tum ad tertium te conuerte, & materiam bene examinato, quod ſi notæ apparebunt quæ ſuſpicionem dant eius motus, tunc ad periodos tertiæ diei ſpectato. Si igitur & 6. & 9. tibi reſponderint, quaternarios motus ſpectanti, tunc chronicam ægitudinem futuram. Tunc etſi materia craſſa quidem videbitur, mediocris autẽ quantitate, ad 21. decernere ſtatum videtur: ſi vero multa ad 27. Hoc poſtremò capite docet fracaſtorius, qua ratione morbi 1. dies poſſit dignoſci à medico, qui longe ab ægritudinis principio fuerit accerſitus: nec ab aſtantibus reſcire potuerit. Inquit itaque, quoniam autem non ſemper aduocari medicum ad initia morbi accidit, ſiquidem primas dies vidiſſe non dabitur, percunctare tamen quæ 1. fuit dies, qualeſque re-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

liquæ præteritæ, fortaſſe enim hoc modo periodos 1. 2. 3. diei nouiſſe poteris. Nam ſi quaternarios vllos motus deprehenderis facta ad diem primam ſupputatione, videbitis cuiuſnam diei illæ periodi ſint: Quod ſi nec 1. dare, nec aliarū ordinem æger ſciuerit, aut aſtantes, tu tamen morbi motus obſerua: raro enim fit, vt re diligēter perſpecta, nō ſeſe offerant tibi quaternarij aliqui motus melancholiæ: quod ſi vllos videre poteris, conſiderato & ſigna digeſtionis, & propinquitatem ſtatus, & diſtantiam, nec non materiæ qualitatem: ſic enim non modo futurarum, ſed & præteritarum cognitor eſſe poteris. Quemadmodum nō multo iam elapſo tempore, contingit mihi: cum enim accerſitus ad ægrum quendam, multis, poſt morbi initium diebus quæſijſſem, qua die primum ægritudo inuaſiſſet, neſcire ſe æger & aſtātes dixiſſe. Tum quæſiui quæ ſaltem grauiores præterijſſent dies, heſterna inquit æger, & dies martis, grauiores fuere, fuerat autem quam heſternam dixerat veneris dies, 4. quidem à die martis cognoui igitur melancholię motus illos fuiſſe: cum vero, & vrinam & alia ſigna digeſtionis examinaſſem, vidiſſemq; quamquam iam plures à prima præterijſſent dies, ſtatum tamen adhuc longinquum, iudicatiui periodos illos martis, & veneris 3. diei fuiſſe, quare & ægritudinem ad 27. tranſituram: facta vero die 3. comparatione, tandem compertum eſt ægritudinem die mart.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

Primo incepiſſe ac tum 19. agi quæ Sabathi die erat, vti apparet ex ſchemate ſubiecto. Mar. Merc. Io. Ven. Sab. Dom. Lun.
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.
Mar. Mer. Iou. Ven. Sab. Dom. Lun. Mar.
10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.
Merc. Iou. Ven. Sab. Dom. Lun. Mar. Mer.
18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.
Iouis. Veneris.
26. 27.

## DE CAVSIS AFFECTIONVM QVÆ IN TEMPESTATIBUS, & ætatibus contingunt.

HÆc morborum conſideratio prodeſt ad cognitionem illorum: Nam ex anni tempore coniectura, & argumentum petitur probabile morbi in eo naſcētis. & ad prædictionem: Nam ex Aphor. 34. lib. 2. minus periculoſe ægrotant, ij, quorum vel naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, vel tempori familiaris morbus eſt, quàm quibus horum nulli affinis cognatúſque exiſtit: & ne quis exiſtimaret Hip. doctrinam, de cauſis horum morborum neceſſariam tradi, ſcribit aph. 19. lib. 3. quilibet in quibuſuis temporibus morbi fieri poſſunt: nonnulli tamen, in quibuſdam magis tum fiunt, tum irritantur, vt ſignificet à tempore anni, ad morbi ſpeciem non eſſe neceſſariam conſecutionem, fieri tamen aliquando. Quod vt cognoſcatur



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

videndum num morbus, qui proponitur, sit Epidemius. Is namque ab aëris constitutione proficiscitur, sparsus: qui à victus ratione, aut à cuiusque temperamenti vitio ortum ducit. Aduertendum præterea, non omnes morbos tempestatibus proprios, habere ipsas tẽpestates familiares: Nam in tempestatibus fiunt morbi, aut ratione temporis aëris, vt æstate febres ardentes: Quod tunc temporis magnus fiat prouentus humoris biliosi: aut ratione motus humorũ: quo pacto vere cutaneos morbos producit, depulsis foras humoribus: aut causa præcedentium temporũ: hoc modo vel procreat sudores, epilepsiã, melancholiam, ob humores genitos autummo, qui excludi, aut cõmoueri hyeme non potuerunt: sed veris tepido calore excitantur: debet autem doctrina tempestatum vniuersalis, precedere particularẽ. Idcircò Aph. 15. lib 3. pronuntiatum est, ex tempestatibus anni in vniuersum, siccitates imbribus assiduis sunt salubriores, & minimè lethales, quod in pluinosis temporibus multi humores superflui colligantur, & retineantur in corpore: vnde putredines excitantur: In magnis tamen siccitatibus ex Aphorismo 7. eiusdem libri febres acutæ fiunt, ob humorum biliosorum prouentum maximum: neque satis erat tempestatis salubritatem in vniuersum designasse: sed opportebat prætereà explicare morbos proprios harum tempestatum. Quare Aph. 16. scribit morbi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

per assiduos imbres, magna ex parte fiunt febres longæ, materiæ quantitate & qualitate, nempè visciditate densitatéque, tum prohibitione perspirationis putredinem producentis: alui fluxus, collectione excrementorum, humiditatum copia, tum vaporibus humidis, corpus nostrum lubricum efficientibus, & obstructione pororum: At in pluuiarum copia, Auster flare solet, Qui cum aquiloni sit contrarius, diuersum parit effectum planèque contrarium. Aquilonia autem tempestas cogit corpora ex Aph 16 huius lib. Ergo sequitur austrinam tempestatem aperire, quare obstructionem non parit. Verum perspiratione prohibētur corpora, pororū constrictione, quæ generantur à tempestate Aquilonia, aut obstructione: ab humiditate austrina tempestate copiosa: à qua fiunt putredines, ex quibus vlcera & febres putridæ, morbi comitiales, ob collectam copiam crassorum humorum, præsertim in capite eorum, qui illud debile habent: Ex iisdem causis auctis fit apoplexia. Angina vero ex prolapsu eorum humorum in fauces. Per siccitates vero, morbi tabifici, à distillatione in pulmones, à qua exulcerātur. Ophtalmiæ, quę ab eadem causa contingunt. Articulorum dolores, stillicidia vrinæ, ab acri humore bilioso cum vrina mixto, tum resiccata glandula, quæ humiditate sua lenta, obtundit vrinæ acrimoniam: & dysenteriæ, ab acri & rodente humore prolabente in



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

intestina. Atque hæ affectiones solent diuturnas illas tẽpestates sequi, quotidianæ vero tempestates, & quæ sunt paucorum dierum, suos producunt in corporibus humanis effectus, ex quibus iudicare possumus de salubritate, aut morbo: idcirco Hip. scribit, Quotidianæ tempestates aquiloniæ cogunt corpora, frigore condensante poros, firmantque retento intus calore natiuo, & moderata partium siccitate, mobiliora item & expeditiora reddit, facultatis animalis virtute & instrumentorum mouentium robore, quod puri sint spiritus priuatione vaporum, & nerui ficciores: coloratiora, quia vt se habet alimentum partium ex 6. Epid. Ita & color, atqui melius coqunt calore concentrato, ob id enim hyeme & verè ventres sunt calidiores, huic sanguinis copia & bonitas coloris: auditu valentiora reddit, & reliquis sensibus. facultatis naturalis virtute, instrumentorum proba dispositione, & externi medij puritate: cum his autem salutaribus effectis, nonnulla incommoda pariunt aquilonę tempestates, aluos namque siccant priuatione generationis serosi excrementi, tum quod externa corporis superficies resiccata, attrahit ab interno corpore humiditates, quibus fæces humectatæ facilius fluerent: mordent oculos, quod frigore maximè exponantur, raritate autem dispositionis facile admittant frigus, à quo resiccati quodammodo diuelluntur, à diuulsione nascitur mordica-
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

tionis ille sensus: Et si dolor aliquis thoracem prius exercuerit exasperant, inspirato aere frigido, à quo læditur thorax, frigidum namq; ex Hip. partibus pectoralibus est inimicum. Contra Austrinæ tempestates corpora languida efficiunt, & humectant: vnde instrumentotum mouentium laxitas, ex qua inertia prouenit, auditum hebetant, ex cõtrarijs causis earum quæ de Aquilonia tempestate dictæ sunt, caput grauant; humoribus genitis & contentis in eo per tales tempestates. Vertiginem pariunt ab inordinato motu spirituum animalium, vaporibus crassis fœdatorum, oculis & corporibus tarditatem afferunt, propter easdem causas, quæ iam sunt dictæ, & aluum humectant, quod humore abundet multo, & coctrix retentrixque sint debiles, propter calorem præter naturam genitum, & humiditatem contrariam retentioni: generalibus ita constitutis ad particulares tempestates accedit Hip. Aph. Itaque 10. scribit, vere insaniæ, melancholiæ, morbi comitiales, propter causam iam dictam: sanguinis profusiones, natura grauata, quantitate sanguinis, quàm hyeme collegerat & vere pepererat: Ita vt non possit vasis contineri, vel irritata à qualitate, quando sanguis, aut acrior est, aut salsus: Tum quod verè sanguinis copia magis procreetur quam in reliquis tempestatibus. Anginæ præsertim à sanguine pituitoso in fauces prolabente, ob eandem causam fiunt, & grauedines, rau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

citates, tusses, producuntur & lepræ: impetigines, vitiligines, pustulæ vlcerosæ, plurima tubercula, articulorum dolores: Quod eo tempore natura incipiat expellere noxios humores, extra cutem, tum attenuentur humores, & pori extendantur corpore rarefacto. Æstate autem nonnulli horum nascuntur, nempè sub finem veris & initio æstatis, vsque ad mensem iulium. Febres continuæ, quod putredines ab externo aëre generentur. in maioribus vasis febres ardentes, & tertianę plurimæ à bile, Illo potissimum tempore dominãte: quartanę: in quas sæpè degenerant superiores, adustione humoris biliosi. Vomitiones, alui profluuia biliosa, lippitudines à bile aucta, aurium dolores acuti, ab eodem humore, oris exulcerationes, genitalium putredines & sudamina id est pustulæ quædam miliares toto sparsæ corpore, à materiæ sudorificę acrimonia: Autummo vero, æstiui etiam morbi multi fiunt: Nam frigus autumnale materias ab æstate genitas cogit & compellit intro: Quocirca excitantur ęstiui morbi: febres quartanę & erraticæ, illæ quidem ob atrem bilem per adustionem flauæ genitam: istæ vero ob materiam heterogeneam: lienes magni, ob melancholici succi abundantiam. Hydropes à succo melancholico, iecur refrigerante: tabes siue totius corporis siccitas, ob frigiditatem, siccitatem, & inęqualitatem autumni: vrinæ stillicidia, à bilis acrimonia quæ poris obstructis à fri-

gore autumni, non amplius euaporatur: ſed in veſicam deerrat, excitatq; ſua acrimonia, vrinæ ſtillicidia: lienteriæ, id eſt, cibi incocti citiſſimæ deiectiones, ab exulceratione interioris tunicæ ventriculi, & inteſtinorum: & a magna & inſigni intemperie orta: dyſenteriæ, ab acri humore bilioſo inteſtina errodente: Coxæ dolores, à malignitate, & acrimonia humorum in coxas decumbentium. Fiunt etiam eadem ratione morbi articulares, Anginæ, à bile & atra bile: Aſthmata, à deſcenſu humoris, in pulmones debilitatos ob frigus: Ilei ob inflammationem & obſtructionē inteſtinorum, Idque propter debilitatem eorum à frigore: inſaniæ & melancholiæ, ab humore melancholico & atro dominãte. Hyeme pleuritides prolapſu pituitæ tenuis, aut admixtæ, cum aliqua portione bilis in latus. Promouetur autem defluxio à frigore externo comprimente partes ſuperiores, & exprimente humores in latus. Pulmonis inflammationes, quæ eandem agnoſcunt cauſam: lethargi, à pituitæ putridæ copia cerebrum occupante cum febre continua, & dormiendi cupiditate: grauedines raucedines: tuſſes: à pituita è cerebro in nares & fauces delabente: dolores pectoris, qui procreãt vt plurimum notam pleuridinem, à pituita & à flatu laterum, & lumborum, à frigore & catharro: cephalalgiæ à pituita cerebrum replẽte: vertigines à flatu in cerebro nato ex pituita: apoplexia, à pituita perfectè ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ſtruente ventriculos cerebri & ſubſtantiã. Secundum ætates, qui morbi fiunt paruis quidem & recens nátis puerulis, oris vlcera, ſiue Aphtæ, à cauſa triplici, nempè à mollitie oris interioris, ab acrimonia lactis nutricis, vel ab acri humore defluẽte in os: vomitiones à voracitate, quia plus lactis hauriant quàm poſſit ferre ſtomachus: tuſſes ob humiditatem cerebri multam delabentem in aſperam arteriam, & pulmones: vigiliæ ob dolores, & tormina ventris, pauores à falſis imaginationibus: vmbilici inflammationes, ſi is non præſcindatur aut pręciſo non adhibeantur remedia conuenientia. Aurium humiditates à cerebro diſtillantes. Quod maximè plenum ſit. Aduentante dentitionis tempore gingiuarum pruritus: quia dentes erumpentes pungunt, & configunt ipſarum carnes: aut à materia ſeroſa & ſalſa: febres, ob inflammationes ginginarum: hæc vero febris fundit plenitudinem, & copiam crudi humoris in cerebro, Vnde conuulſiones: ab eadem copia & cruditate, fiunt alui profluuia: hæc autem accidunt maximè cum caninos emittunt: Quod fit maxima ex parte 10. & 12. menſe, & his pueris, qui sũt pleniores ab humoribus ſuperfluis, quos à voracitate colligunt, & qui aluos duras habent, in quibus maior fiet prouentus humorum ſuperfluorum: ipſis vero grandiuſculis, tonſillarum inflammationes, ab humoribus acribus & calidis, qui defluunt ad tonſillas: vertebræ in occipitio intror-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ſum luxationes, quod partes faucium inflammatæ, trahant in conſortium neruos, & muſculos : vnde retrahuntur luxationémque afferunt vertebrę colli. Aſthmata, ex defluxu crudi humoris in bronchia pulmonis, quibus oppletis auguſtior fit via reſpirationi dicata. calculi duabus cauſis. 1. ob intemperantē victum, multi humores crudi collecti, vnà cum vrinis ad veſicam confluunt, qui calculi ſunt materia. 2. ob calorem, qui materiam indurat, vnde calculus naſcitur. vermes à putrente pituita in inteſtinis, ij autem ſunt lumbrici rotundi, aut aſcarides, ex hollerio in Aphoriſmum. verrucæ penſiles à materia craſſa & viſcida ad cutem erumpente. Satyriſmi hoc nomen ambiguum eſt. Oribaſio verrucarum eſt turba, in qua maiorem circundant aliæ minores : Ariſtoteli eſt morbus in quo propter flatus facies tumida repræſentat ſatyrum. Galeno lib. de tumoribus pręter naturam, eſt elephantiaſis, & lepra, quia conſumptis muſculis temporalibus fit oſſium eminentia. Ita vt caput in modum ſatyrorum cornutum appareat, alij vocant affectionem penis. Cum turget à flatu maligno venereo, nec diſſolui poteſt tenſio : aut ſignificat glandularum tumores prominentes circa aures, Qui hoc loco ſunt intelligendi. Stranguriæ ſiue vrinæ ſtillicidia, à retentricis ipſius veſicæ imbecillitate : ſtrumæ, à pituitæ copia in colum prolabēte: aut à melancholico ſucco, & alia tubercula quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ſunt inflammationes glandularum, præſertim in inguinibus,& axillis: grandioribus autem,& ad pubertatem accedẽtibus, ſuperiorum etiam morborum, multi accidunt, vt febres diuturniores, quatuor de cauſis. 1. ob materiæ quantitatem copioſam. 2. propter frigidiorem,& craſſiorem materiam à voracitate natam: 3. ob denſitatem corporis 4. propter imbecillitatem virium, proficiſcentem à copia humorum, quæ parit oppreſſionem virium. Sanguinis è naribus copioſa profluuio: propter ſanguinis copiam,& veneris vſum: Iuuenibus ſanguinis ſpuitiones,tenuitate, ſcilicet, & copia eius ſanguinis: tabes nam à ſputo ſanguinis puris ſputum, & inde tabes: febres acutæ ob bilem dominantem,& vitæ errata:morbi comitiales propter victum intemperatum, à quo magna pituitæ copia cumulatur in cerebro, vnde epilepſia. vltra hanc ætatem prouectis, ad annum. 60. Aſthmata: quia propter intemperantem victum colligitur in cerebro pituita; quæ labitur in bronchia pulmonum iam imbecillium: pleuritides,à bile tenui in pleuram illabente, pulmonis inflammationes,ob eandem cauſam. Lethargi, à pituita ſubſtantiæ cerebri impacta,quæ putreſcit, & malignam febrẽ parit; diuturna alui profluuia,à multitudine materiæ bilioſæ permixtæ multis cruditatibus. choleræ morbi, ab eadem cauſa vellicante vẽtriculum & inteſtina,proindéq; excitante vomitum & alui fluxum : difficultates in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

testinorum, leuitatésque eorundem: aut à cruda pituita chilum deturbante, aut ab vlceribus ventriculi: aut à debilitate retentricis eiusdem: hæmorrhoides, ijs præsertim quibus suppressa solemnis aliqua euacuatio: addenda est etiam apoplexia quæ à 41. anno ad 60. fieri maximè solet ex aph. 37. lib. 6. Senibus autem difficultas spirandi, distillationes, & tusses tribus de causis: Nam senibus fit cerebrum frigidius, & imbecillius, quare prompte à causis externis patitur, vt ab aëre, & colligit excrementa, deinde thorax, qui calore gaudet, is vero calet minus, imbecilliórq; est: quocirca fluxiones recipit facilius. 3. corpus habet siccissimum, poros astrictos, compactos: vt non transpirent excrementa: ob id senum morbi, sunt interiores, magisque à superficie intro demersi. Strāguriæ quoque, & dyssuriæ, quarum affectionum causæ sunt propriæ, & communes. Communes existunt imbecillitas vesicæ, excrementorum copia collecta, ob imbecilliorem calorem natiuum: Tum propter astrictionem cutis; quæ etiam ab excretionibus cessant: causæ vero propriæ sunt, quia strangurię materia, humor est acrior, & ferè pituita salsa in senibus, a qua excitatur vrinæ ardor, proindéq; stillicidium. Dysurię, siue suppressionis vrinæ causa est, materia crassior & frigidior, à qua prohibetur exitus vrinę, propter obstructiones. Articulorum dolores ab eorum imbecillitate, & excrementorum copia: Nephriti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

des, id eſt, dolores à calculis renum, qui generantur in ſenibus, à copia excrementorum viſcidorum, & caloris acrimonia: naſcuntur autem in renibus potiſſimum, Quod cum magno calore ſit opus ad calculi generationem, veſica ſenum frigida eſt, renes illorum calidiores: & præſertim ſi extiterint temperamento calido & ſicco: vertigines à vaporoſo ſpiritu, qui ortum ducit à debili calore ſenum: & debilitate ſpirituum. Apoplexiæ à multa pituita, & ſucco melancholico: cerebri ventriculos, & ſubſtātiā eius obſtruēte: Malus corporis habitus, ob debilitatē vētriculi, & hepatis, vt & pruritus totius corporis. vigiliæ, à ſalſa pituita cerebrum vellicante, aut priuatione benigni illius vaporis qui ſomnum concitare ſolet. Humiditates ventriculi, à deprauata coctrice, humiditas narium, ab eadem cauſa: Nam cerebrum humiditatibus ſeroſis repletur. Hebetudines oculorum, à copia frigidi humoris cerebrum occupantis. Glaucedines ab exſiccatione oculorum, ob penuriam humidi radicalis: & auditus hebetudines, ob copiam frigidorum humorum. Hic morborum grauiſſimorum catalogus, apertè oſtendit veriſſimam eſſe ſententiam Hip. 1. de dięta: nempè ſenes omnes eſſe morboſiſſimos cui tamen aduerſatur aphoriſmus 39. lib. 2. Inquit enim Hip. ſenes magna ex parte minus, quàm iuuenes ægrotant: Semel autem diuturnis morbis correpti, ferè vna moriuntur. reſpondemus, Minus

ægrotant victus ratione, non ætatis ſalubritate: quod ſenes ſint cautiores, & victus rationem corruptam (pericula experti) fugiant; ætatis vero ratione morboſiores, propter ſenectutis debilitatẽ naturalem. Eſt enim ipſa morbus: tum quia vitæ præcedentis errata efficiunt ſenum corpora languida & effœta commoriuntur vero morbis frigidis. præſertim, quod coctionem in illis non recipiant propter debilitatem caloris.

# DE MORBIS, CAVSIS MORBORVM, ET SANITATIS: *De ſignis eorumdem, & partium affectarum.*

*QVicunque parte aliqua corporis dolent, & dolorem omnino non ſentiunt ijs mens ægrotat. 6. 2.*

SIgnum mentis alienatæ eſt, dolorem non ſentire: oportet ergo doloris cauſam adeſſe nimirum intemperiem, aut continui ſolutionem: verum mentis alienatio, aut eſt cum morbo, vt in phrenitide, aut ſine morbo, vt in iratis, multi enim ira accenſi vulnerantur, ſine ſenſu vulneris, eſt autem in ijs non mentis alienatio: ſed potiùs alio conuerſio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Dolores & febres, accidunt magis, cùm pus fit quàm iam confecto. 47.2.*

HOc aphoriſmo continentur ſigna vigentis & declinãtis inflammationis: ſunt autem dolores & febris, qui cum vigent inflammatio, viget. Cum remittuntur declinat: ratio vero horum ſymptomatum, pendet ex cauſis doloris & febris, vigenti enim inflammatione, magna eſt in parte intemperies, & à diſtentione ſolutio continui, tum euaporatio multa feruens ad cor fertur, vnde febris & dolor ſuſcitatur: ijs remiſſis, dolorem & febrem imminui eſt neceſſe.

*Quibus eſt aluus humida in iuuentute, meliore ſunt conditione: quam quibus aſtricta eſt. Verum ſenectute difficilius defunguntur, ipſis ſiquidem ſeneſcentibus reſiccatur. 53. 2.*

EX 20. aph. 2. lib. qui habent humidas aluos in iuuentute, habent ſiccas in ſenectute, & contra. Nunc vero comparat illas diſpoſitiones, ſecundum commoditatem ſanitatis, & morborum: Cum vero ventris laxitas, ſit præferenda, propter excrementorum euacuationem, quare in quacunque ætate aluus extitit lubrica, ea eſt commodior ad ſalubritatem, & ad morborum curationem: verum, quia qui iuuenes habent aluum liquidam, in ſenectute

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

astrictam patiuntur, commoditas iuuentutis, incommoditate senectutis mulctatur. Quare fit, vt qui iuuenes propter aluum liberam meliùs haberent, cum peruenerint ad senectutem, peiori sunt in statu, quàm senes: quorum aluus fuit sicca in iuuentute, & in senectute fluida est. Refertur ergo hic aphorismus ad simioticam. Nam aluus fluida naturali constitutione, significat ætatis bonam diathesim, siue dispositionem.

*Magnitudo corporis iuuentuti liberalis est, nec indecens: senectuti vero inutilis, & peior paruitate.* 54. 2.

REferendus hic aphor. ad simioticam præsentis constitutionis, aut futuræ. In iuuentute namque magnitudo corporis speciositatis est indicium, & signum senectutis illius viri incommodæ: Quod tales viri incuruentur, & propter debilitatẽ minus commode possunt mouere & agitare molem illam vastam corporis. Ex paruitate contraria sequuturi.

*Qua parte corporis sudor est, ibi morbum esse ostendit.* 38. 4.

SVdor in parte aliqua suscitatus, est signum morbi, in ea parte existentis, à materia namque ibi contenta sudor emanat, aut multitudine materiæ, vel retentricis imbecillitate, vel robore naturæ. Est

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

autem hic sudor symptomaticus, si copia materiæ, aut partis imbecillitate fluxerit. Criticus si robore naturæ.

*Et qua parte corporis calor, aut frigus est, ibi morbus existit. 39. 4.*

EXtra febrem intelligendus est aphor. & à re per se, & continenter à causa morbifica emanante.

*Quibus tusses siccæ modice incitantes, in ardentibus febribus diu durant, ij non admodum siticulosi fiunt. 54. 4.*

SIgnum febris ardentis est sitis inexplebilis, quæ ægrum non præmit, quoties tussis adest sicca, sine expectoratione modice irritans pulmones, & tracheam arteriam. Nam ex eo quod sicca est, tenuis humoris significatur defluxio, & quia modice irritat, benignum humorem demonstrat, quo irrigantur fauces, & lingua: humor vero illa est pituita aquea, per quam sitis causa extinguitur. Si quis ergo in ardente febre, non sitiat, aut significatur illius partis insensibilitas, in qua est sedes sitis, aut irrigatio ab humore frigido humido, quæ ostenditur tussi sicca modice irritante. At in febre ardente qui potest fieri ille defluxus cum bilis & pituita salsa In cerebro adsint, non autem pituitæ tenuis copia?

*Quibus*

*Quibus cùm vrina crassa exiguæ carunculæ, aut veluti pili vnà exeunt, ijs à renibus excernuntur. 76 4.*

SIgnum proprium & inseparabile vlceris renum est, carnucularum excretio cum vrinis, magni vero vlceris signum esse est necesse, siue carunculæ fuerint veræ, aut substantia carunculis similis. Cum enim sit firma & dura renum caro, non facile eroditur, nec per frustula separatur. Est ergo non tantùm vlcerationis, sed prægrandis signum: secundum signum nec proprium nec inseparabile est pilus; pilosa namque illa substantia, per vrinas excreta potest fieri in venis, in iecore, in vreteribus, & in vesica, ex pituita viscida & à calore vehementiore.

*Quibus in vrina subsident sabulosa, ijs vesica calculo laborat. 79 4.*

NOn scribit Hip. arenulas, sed sabulosa, quæ referunt speciem arenæ, arena autem non sunt. Nam arena sola micta, cum sit in sua specie & forma perfecta, indicat causam procreatricem, & materiam commodam ad procreandum calculum, nullo autem pacto calculum: præter rationem hanc, experientia fidem facit: hoc signum neque proprium est neque inseparabile præsentis calculi, licet fieri possit, vt existente calculo in vesica



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

arenæ mingantur: ſed non eſt neceſſariũ. Eſt ergo cenſendum hoc ſignum, in ijs, quæ diſpoſitionem ad calculum demonſtrant: non quæ procreatum oſtendunt.

*Si quis ſanguinem, aut grumos meiat, aut vrinam guttatim emittat dolore ad hypogaſtrium pectinem, & perinæum pertinente, ad veſicam loca laborant.* 80.4.

MVltum intereſt an coniunctim legatur an diſiũctim hic aphoriſmus. D. Duretus præceptor meus. 1. modo legendum exiſtimat, putatque certum miniméque fallax, veſicæ graui aliquo affectu laborantis ſignum eſſe, ſi in liquidi aut grumoſi ſanguinis mictione, imus vẽter, & pærineum doleant: certius vero, ſi iam dolor accidat in vrinæ ſtillicidio: certiſſimum autem, ſi tribus hiſce ſymptomatis vna conſpirantibus, dolor veſicam, partéſque veſicę annexas ac vicinas exerceat, dolor hypogaſtrici, pectinis, & perinæi, veſicam affici demonſtrat: niſi ſit ſuſpicio aliqua, tumoris alicuius præter naturam dolorifici, partium extimarum illius regionis; ſi cum his ſignis veſicam affectam declarantibus, adiungãtur mictio ſanguinis, aut grummorum illius, aut vrinæ ſtillicidium, certum eſt loca ad veſicam laborare: vrinæ quidem ſtillicidium eſt ſymptoma veſicæ affectæ proprium, vt enim mictio eſt propria veſicæ actio, Ita deprauata mixtio & imminuta, illius propria

ſunt ſymptomata:ex his ergo ſequitur eſſe affectam veſicam. Sanguinis vero mictio neque proprium, neque inſeparabile, ſed iūctum cum alijs fit proprium, aut primarij veſicæ affectus, aut ſecundarij: poteſt enim ſanguis aliunde in veſicam deſcendere, ibique corrumpi, & parere reliqua ſymptomata. verus ergo eſt aph.

*Quibus cum vrina craſſa, quædem furfuroſa vnà exeunt, his veſica ſcabie laborat.* 77. 4.

FVrfuroſa cum vrina eiecta, aut in febre ardente excernuntur, aut extra febrē: in vtriſque ſignificant affectum ſcabiei ſimilem partium aliquarum; in febre venarum, extra febrem veſicæ vrinariæ.

*Quicumque inopinanter ſangninem meiūt, is in renibus venulæ ruptionem ſignificat.* 78. 4.

HOc ſignum non eſt proprium, ſed inſeparabile, ſi namque in renibus vena rumpatur, neceſſario inopinanter ſanguis meietur. Sed non contra: Nam eo pacto ſanguis poteſt educi, aut à vaſis ſpermaticis, propter eorum imbecillitatem, vt ſcribit Holernis, aut à renibus nimeo exercitio calefactis: aliquando à rupta vena, aperta, exeſa, in vijs vrinarijs: Nōnumquam propter collectionem ſanguinis factam, qui naturæ impulſu, in re-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

nes detruditur. Cum ergo plures ſint cauſæ mictionis ſanguinis, diſtinctione eſt opus, per ſigna anaſtomoſeos, erroſionis, & ruptionis, ſigna à quantitate ſanguinis ſumpta ſunt, partibus quibus inſunt, communia. Quare ad partem affectam deſignandam nihil conferunt: Adiungenda ergo alia, nempè dolor partis, aut aliquid aliud partis, vnde manat, affectæ propriū.

*Si ſanguinem, aut pus meiat, aut ſquammulas, grauiſque odor adſit, veſicæ exulceratio ſignificatur.* 81. 4.

INſeparabile ſignum exulceratæ veſicæ eſt puris mictio: Sed illud non ſatis eſt ad demōſtratiuam ſignificationem: Nam ab apoſtemate gibbæ partis hepatis proficiſci poteſt, & à renum vlcere. Quamobrem, Hipp. addit alia nempè, ſquamularum mictionem extra febrem ardentem, quæ vt dictum eſt leuem exulcerationem veſicæ oſtendit, tum grauem odorem puris. Pus namque conceptum in veſica magis fœtet, quàm in alijs partibus: Nam educitur ex parte exangui, cuius propriū eſt fundere pus fœtidum: in qua cum non poſſit diu cunctari, à veſica crudum mittitur: & proinde fœtidius, coctum autem minus olet. Cæterum, cum pituita micta olet, aut ſemen corruptum, poſſunt fallere medici iudicium, iſta diſtinguenda per ſigna dicta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Mictio noctu copiose facta, exiguam deiectionem significat.83.4.*

APhorismi explicatio simpliciter considerati facilis est. Nam deriuata materia in partes vrinæ excernendæ dicatas, deiectionem imminui est necesse: verum obseruatio huius aphorismi, facit ad crises per vrinas commotas: in quibus parum, aut nihil deijcitur per intestina Admonetur ergo medicus, ne in copia vrinarum, suppressa aluo, indicationem sumat purgandi per deiectionem: cum rationi sit consentaneum, in vrinarum abundantia, exiguam esse deiectionem.

*Qui spumantem sanguinem extussiunt, ijs ex pulmone educitur.13.5.*

CVm omne excrementum præ se ferat, Ideam partis à qua proficiscitur, spumosus sanguis totus sine dolore reiectus, rotundus: non continuo fluens: sed per interualla intercisus, ac separatus, dilutus, sed albescens propter aerem plurimum admixtum, & pulmonis similitudinem, è pulmone manat.

*Si qua nec prægnans est, nec puerpera lac habet, ei menstrua defecerunt.39.5*

SIgnum deficientium menstruorum per negationem collectũ, est, lac in mammis eius mulieris, quæ nec puerpera, est



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

nec prægnans. Prægnantes multæ, antequam pariant lactis serosi copia abundant: quod incipiant refluere sursum, à comprimente fœtu grandiori: In pueris lac prouidentia naturæ gignitur ad fœtum alendum: lactis namque procreatio statim post fœtum editum, naturæ prouidentiæ effectus censeri debet. Nam cum puerpera in enixu miram sanguinis copiam effundat per inferiores partes, fieri deberet diuersio à partibus superioribus. Quamobrẽ cum præter rationem hoc fiat, Dei prouidentia contingit, vt lac in puerperarũ mammis gignatur. Si ergo, quæ nec prægnans est, nec puerpera, & menses iam experta lac habeat, certum est lac non posse aliunde emanare, quàm ex mensibus suppressis, qui sursum refluunt in mammas.

*Si scire velis an mulier conceperit, dormitura aquam mulsam potui dato: Et si ventris tormina patiatur, concepit; sin minus non concepit.* 41.5.

SIgnum describitur cõceptionis incertum, experimento solo, non ratione suffultum.

*Mulier grauida si marem gerat coloratior est: si fœminam decolor.* 42.5.

HOc signum facile est explicatu: Mares enim fœmellis calidiores, effi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ciunt, vt matres ſint coloratiores, rubedo enim à copia caloris & ſanguinis.

*Quæ mulieres mediocriter corpulentæ, abortum faciunt ſecundo menſe, aut 3. ſine cauſa manifeſta, ijs cotyledones lentoris ſunt plenæ, nec præ pondere fœtum continere poſſunt: ſed abruptis decidit.* 45.5.

SIgnũ ducitur ex hoc aphoriſmo, cauſæ peculiaris aborſus, indéque curationis indicatio. Nam ſi propter mucum accidat abortus, humores illi purgandi corpuſque exſiccandum. In hoc autem euentu oportet excludere alias abortionis cauſas internas, & externas, alui profluuium hæmorrhagias, vteri morbos, ictus, caſus & alias.

*Quæ præter naturam craſſæ non concipiunt, ijs vteri os ab omento comprimitur: itaque grauidari donec extenuentur, nequeunt.* 49.5.

SIgnum deſcribitur ſterilitatis exceſſiuè obeſarum: cum obeſæ abundent ſanguine laudabili, facile deberent cõcipere. ſi ſteriles efficiantur, in cauſa eſt compreſſio orificij interioris vteri, facta ab omento. Verum intelligendum obeſas mulieres eſſe alias natura, & habitudine inſita: alias vitæ inſtituto. Hipp. Has intelligit. Pręterea pinguedo poteſt efficere ſterilem mulierem, aut priuatione ſeminis, quod materia ſeminis conuertatur in



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

pinguedinem: aut quia pinguis vterus lubricus, ſinit elabi ſemẽ receptum. Signum itaque ab Hip. Deſignatum, nec eſt proprium, nec inſeparabile ſterilitatis.

*Quæ vtero gerunt ijs os vteri conniuet. 51. 5.*

SIgnũ eſt fœt⁹ cõcepti in vtero, hoc autẽ poteſt reſciri ab obſtetricè, aut chirurgo digitũ immittẽte in vterũ. Cõniuet autẽ ne ab aëre frigido lædatur, ne ſpiritus diſſipẽtur, ne ſemẽ prolabatur. quæ omnia ſequũtur ad amplexum quem facit vterus circa ſemẽ, vt ventriculus circa cibos propter delectationem.

*Mulieri vtero gerẽti ſi lac è mãmis fluat copioſe fœtũ imbecillẽ ſignificat. Si verò firmæ ſolidæuè mãmæ extiterint, valentiorem cõceptum indicant. 52. 5.*

SIgnũ debilitatis fœtus eſt, lac è mãmis effluẽs magna copia. Ratio eſt, quod fœt⁹ prę imbecillitate, sãguinẽ ad ſe allicere nõ poſſit. Quare redundãs, ad mãmas cõfluit, quas diſtẽdit: Illæ vero minimum diſtẽtæ, irritatione facultatis expultricis effundũt. Lactis ergo larga profuſio mõſtrat fœtus imbecillitatẽ: vel ſi lac copioſe confluens ad mãmas, propter earũ debilem retentricẽ nõ poſſit retineri, illud lactis effluuiũ, facit vt fœtus debilitetur: Contrarium vero effluuij lactis eſt retentio. Cur ergo nõ dixit Hip. Si non fluat copioſe lac, fortẽ ſignificat? non debuit, quia licet non fluat, flaccide eſſe poſsũt mãmæ, & fœtus imbecillis. quare erat neceſſariũ ſcribere: ſi verò firmæ ſolidæuè mãmæ extiterint, fortiorũ conceptũ oſtẽdunt. Nam ſoliditas ſiue du-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

rities mãmarũ, ſignificat repletionẽ à copia ſãguinis: quę ſatis eſſe poſſit, nutriẽdo fœtui & replẽdis mãmis. At nũquid fortior erit, ſi flaccidæ exiſtãt mãmę, quod ſcilicet ſignificetur maior attractio ſanguinis ad fœtũ ipſũ, proindéq; maiorẽ vim attractricẽ? Maior eſſe poteſt vis attractrix fœtus in ſanguinis penuria, ex qua debilis efficietur fœtus, & mãmæ flaccidæ: Sed in magna ſãguinis abundãtia ſine effluxu lactis, robuſtus eſt fœtus alimenti laudabilis copia, & mammæ turgent cum duricie ab eadem.

*Si prægnanti, purgationes mẽſtruæ curſũ ſuũ obſeruẽt, fœtũ bene valere impoſſibile eſt.* 60. 5

SIgnum debilitatis fœtus, eſt menſium effluxus periodos ſuos ſeruans: In valde ſanguineis mulieribus; primis geſtationis temporibus poteſt forſan per venas colli veteri effundi mẽſtruus ſanguis, ſtatis periodis, ſine fœtus detrimento: Quod in multis contigiſſe teſtatum eſt, multis hiſtorijs: verum fœtu iam grandiori, hoc euenire pręter eius imbecillitatem, forſan eſt impoſſibile. Priuaretur enim ſuo alimento, & debilis efficeretur: Omnis enim priuatio neceſſarij alimenti, parit debilitatem.

*Si mulier non concipit: & ſcire placeat an ſit conceptura, veſte præligata vndique, & obuolutam ſubter ſuffito. ac ſi odor corpus peruadere videatur ad nares, & os vſque, non ſua culpa ſterilem eſſe ſcito.* 59. 5.

HOc ſignum ſignificat corpus illius mulieris eſſe peruium & permeabile: nec tamen eſt neceſſarium: quod poſſit

etiam cum eo esse sterilis, vt si sanguis sit tenuior semen frigidius, vterus humidior, aut appertus.

*Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre superueniente, cibique fastidium accidat, pragnantem esse putato.* 61. 5.

MVlier illa quæ consueta erat singulis mensibus fundere sanguinem per vterum, modo & quantitate naturali, eo fluxu priuetur, cum sanguis effluere solitus in corpore remaneat, alio feratur oportet. Natura enim solet superflua æque, ac corrupta ex cernere: Siquidem feratur in corpus vniuersum, horrorem & febrem inducit, quod superfluus corrumpatur. Sin autem ad vterum nutriendi fœtus causa iam iam concepti, horrorem non producit, neque febrem. quod autem fœtus sit paruus, neque possit primis mẽsibus consumere totum sanguinem, à natura retentum, remanet aliqua illius pars superflua, quæ confluens in ventriculum, parit fastidium cibi: neque putandum est sanguinem illum tantum confluere in ventriculum, Sed etiam in alias corporis partes: vnde intumescunt mammæ, & afficiuntur reliquæ partes corporis: Sed cibi fastidium maximè percipitur. cur vero horror non sentiatur: neque febris in superfluitate illa sanguinis? Existimo illud contingere propter superflui sanguinis

exiguam copiam, & caloris natiui incrementum, à fœtu concepto: Ex quo accidit, vt nec superfluus ille sanguinis, nec lochia toto fœtus tempore, putrescant & fœteant.

*Quæ frigidos & densos habent locos, vtero non concipiunt: & quæ prahumidos habent, grauidari nequeunt, extinguitur enim in ipsis genitura: & quæ licciores, & æstuosos, nam alimenti defectu semen corrumpitur. Quæ verò ex vtraque oppositione moderatam nactæ sunt locorum temperaturam, eæ fœcũditate valent.* 62.5.

RIecenset Hip. Hoc aph. vnam causam sterilitatis mulierum, ex intemperie varia vteri, quæ cum vera sit parum tamen ad praxim conducit. Quod scilicet tantum cognita curari possunt, nec agnoscantur, nisi per signa: nostrum autem in concinnando hoc opere est institutum, reuocare aphorismos ad praxim: signa ergo explicanda.

Hippocrates dẽsitatem vteri anteponit frigiditati ordine retextionis: dẽsitas nãq; vt effectus frigiditatis, est posterior natura antecedens tamen resoluendo siue regrediendo ab effectu ad causam vera est propositio: qui frigidos habent vteros, habent & densos & duros, qui tamen duros habent, non necessario frigidos: Nam in grauidis fiunt vteri densiores: tum in calidis à dissipatione humoris. Durus



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

namque de usus est: sed densum, aut significat, cuius ambæ superficies longe distant à se inuicem, quod aliter appellamus spissum, aut quod cum superficies nō habeat, multū à se inuicem distantes, compactum existit, & compressum: hoc loco densum intelligitur hoc posteriori modo. Qui ergo vteros habent frigidos & densos nō concipiunt. Quæ propositio probatur ab his, quæ scribuntur ab Hip. initio libri de morbis mulierum: quæ menstrua non patiuntur nō cōcipiūt. Quę frigidos & dēsos habent vteros menstruis priuantur: Ergo non concipiunt. Secunda propositio probatur facile ex eo, quod propter frigiditatem, & densitatem venæ clauduntur: Ita vt sanguis menstruus affluere non possit: frigiditatis vteri signa, prodit auicen. cap. 4. fen. 2. lib. 3. petita ex humoribus in vtero & toto corpore dominantibus. Quæ vt plurimum sunt inseparabilia, propria pauca. recenset itaque retentiones menstruorum, eorum paucam quantitatem, victus rationem præcedentem, ex crassis, & frigidis cibis: & multum coitum, præcedentem frigiditatem: veluti quendam stupo-rem in partibus matricis perceptum, pilorum carentiam, in pectine, vrinam aquosam, & deprauati coloris, quæ affectiones vteri non sunt primo & per se, sed iecoris: quæ præterquam inseparabilia sunt (possunt namque à pluribus causis proficisci) Existunt communia in dominatu pituitæ, & succi melancholici: tenuitas, & albedo pituitosa: sunt quodammodo propria pi-

tuitæ redundantis indicia. Succus namque melancholicus, neque tenuis, neque albus esse potest: nigredo vero succi melancholici exulcerantis est indicium.

Quibus vteri sunt præ humidi grauidari nequeunt, extinguitur enim in illis genitura; nimirum suffocatur calor, & spiritus, quibus abũdat genitura, à copia humoris. Humiditatis redũdantis ipsius vteri signa describit idem Auicennas, tenuitatem menstruorum, & copiam humiditatum serosorum: aborsus autem, quia ortum ducit à multis alijs causis, humiditatis redũdantis in vtero, signũ esse nequit cognitioni conducibile: Quæ vero siccos & calidos habent vteros: non concipiunt: quod alimenti defectu corrumpatur semen: Semen namque sanguinem ad sui nutritionem attrahere debet ex sententia Hip. At calor vehemens dissipat sanguinem. Ergo defectu alimenti interit calor. Signa caloris excedentis vteri, sunt calor totius corporis perceptus, pauca menstrua, calor autem sanguinis excreti demonstrat húmoris calidioris dominium: præsertim, si linteo lineo excipiatur: erit namque aut flauus, aut rubeus, flauus corpus totum, & vterum dominatu bilis teneri ostendit. Rubeus autem sanguinis: qui licet sit calidus, non potest tamen dissipare alimentum seminis: labiorum pudendi exsiccatio, pilorum in pectine existentium multitudo: reliqua vteri non sunt, sed iecoris: & cordis incalescentium: Quæ super-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ſunt facile exprimi poſſunt, & demonſtrari.

*Mulier podagra non laborat, niſi ipſam menſtrua defecerint.* 29.6.

VEra fuit ſententia temporibus Hip. ob moderatum victus rationem, qua vtebantur: falſa eſt noſtris temporibus ob luxum.

*Mulier non fit ambi dextra.* 43.7.

PRopter debilitatem ſexus, uiri autem quidam fiunt ambidextri propter robur totius corporis. Dextra tamen fortior ſemper exiſtit ſiniſtra.

## DE PODAGRA.

*Enuchi podagra non laborant nec calui fiunt.* 28.6.

NOſtris temporibus vt explicat Gale. propter intemperantia vexantur podagra, multi qui Eunuchi non ſunt: Nam cum nõ vtantur venere, eorum articuli nõ debilitantur, nec copia crudorum humorum in his congeritur, quæ ſolent eſſe cauſæ podagræ: Calui autem non fiunt quod humiditate redundet corpus, à ſiccitate autem caluities.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Puer podagra non laborat, ante veneris vsum.30.6.*

HOllerius vidit pueros natos tantum decem annos laborasse podagra: Sed hoc potius vitio principij generationis, quam propter alias causas Artritidis. Non enim debilitantur in eis iuncturæ, quæ causa est vna ex præcipuis podagræ: Cæterum his tribus aphorismis significatur ab Hip. quàm vtilis sit purgatio, ad podagram declinandam: & quàm noxiùs sit vsus veneris immoderatus illis, qui podagræ sunt obnoxij.

*Qui podagrici morbi fiunt, sedata inflammatione. Intra dies quadraginta conquiescunt. 49.6.*

SPectat hic aph. ad prædictionem durationis morbi podagrici: sed intelligendus est de nouo morbo, non inueterato, & in iuuene sanguineo, laudabili victus ratione vtente. Proponit autem ob oculos terminum podagræ bene moratæ: vt ex illo de reliquis male moratis iudicium instituatur. Est vero quadragesimus dies finis morborum acutorum ex decidentia, qualis tamen non est podagra.

*Quibus per diarrhæas spumosa sunt alui excrementa, ibi à capite fit defluxio.30.7.*

HIc aphorismus continet signum loci vnde materia diarrheę potest delabi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

inseparabile quidem videtur, vt quoties è cerebro humor diarrhææ, concitatus labitur, spumescat, ob viæ longitudinem & descensus rapiditatem; nihilominus omnes deiectiones spumosæ à cerebro non proficisci, praxim exercentibus Experientia certum est: Nam in dysenteria & alijs fluxibus spumea excrementa apparent, à feruore & humorum agitatione excitata, intra intestina: Quare ad illud inseparabile, alia signa sunt adiungenda: quo fiat proprium: Ea vero esse possunt alia signa onusti cerebri: vt catarrhus, grauitas capitis, surditas, appoplexia, nocturnum alui profluuium: si deiectio alba, & viscida extiterit.

*In doloribus lateris, & pectoris, cæterarúmq; partium si multum differunt ægri discendum. 5. 6.*

MVltum differre est, ambiguum. Differim⁹ nãq; ab alijs, aut à nobis ipsis diuersis tẽporibus. quo pacto hoc loco sit intelligendum diuersa est authorum interpretatio. De differentia ægrorum loquitur Hip. non de discrimine dolorum, vt multi interpretantur. Differre autem ægros ab alijs qui dici potest, cum loquatur de particulari, in curandis ægris inspectione. Quare de differentia à se intelligat est necesse: à se vero differt æger quando erat sanus. Quantum ergo recessit à naturali constitutione, tantus est affectus præ-

ter naturam, & tantus dolor, à quantitate autem recessus, magnitudo remedij eligitur & periculi captatur coniectura.

*Rigores incipiunt mulieribus ex lumbis magis, & per dorsum perueniunt in caput: Sed, & viris parte corporis posteriore magis, quàm anteriore, veluti ex fœmoribus & cubitis, indicio est cutis raritas, quàm ipsam pilus ostendit. 69.5.*

HOllerius sentit scribēdum, viris vero etiam arteriore corporis parte similiter, & in partibus corporis exterioribus magis, quam interioribus: veluti cubitis & fœmoribus. Duretur doctissimè explicat hunc aph. Cæterum ex hoc aph. nihil aliud vtilitatis percipitur ad medicam artem, nisi quod mulier est frigidior viris. Non tantum ducto argumento ex loco generationis rigoris. Sed etiam ex pilorum abundantia.

*Auriginosi non admodum ventosi. 72.5.*

MVltum controuersa est hæc sententia, ad medendi vero artem parum vtilis. Vide alios commentarios.

*Latæ pustulæ non admodum pruriginosæ. 9.6.*

VIde commentaria. Ad praxim parum facit hic aphorismus: nisi ex latitudine dignoscatur materiæ pustulæ con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

ditio & qualitas: referatúrque ad ſimioticam.

*Balbi lõgo alui profluuio maximè corripiuntur. 32. 6.*

PRopter copiam humorum in eorum corpore exiſtentium.

*Ad recti inteſtini & vteri inflammationem purulentóſque renes accidit ſtranguria; iecore vero inflammatione laborante interuenit ſingultus. 58. 5.*

VNius effectus ſtranguriæ nempè, tres cauſas enumerat inflammationem inteſtini, & vteri, tum purulentos renes: quæ nihil conferunt ad dignotionem partis affectæ: cum enim vnius effectus plures ſint cauſę in dubio eſt animus. Minus autẽ conducit ad eandem, cum poſſit ſtranguria ex alijs cauſis emanare. totus ergo hic aph. eſt contemplationis.

*Quibus nares humidiores natura, & genitura humidior, ij minus proſpera valetudine fruuntur, quibus vero hiſce contraria adſunt ſalubrius degunt. 2. 6.*

NAres humidiores natura, medico patent: ſemen humidius, ex relatu ęgri. pertinet hic apho. ad ſimioticam, ratio autem patet. in ſanis intelligendus hic aph. non in conualeſcentibus: humiditas namque è naribus ſtillans, & ſeminis liquiditas, arguunt copiam excrementitij

humoris, quæ vbi adeſt ſanitatem abeſſe demonſtrat.

*Conuulſio ex repletione fit vel euacuatione: Ita vero & ſingultus.39.6.*

MVlta dicuntur à commentatoribus in hunc aph. Eraſtus in theſib. de conuulſione hanc ſententiam probat. Sed intelligit repletionem & inanitionem eſſe cerebri, conuulſionem vero eſſe motum iuſſum, de quo fuſius diximus in noſtra praxi.

*Quibus in corpore pus, nullum ſui dat ſignificationem, ob craſſitiem ſui, aut loci non ſe prodit.41.6.*

CLarus eſt aph. & ferè nullius momenti ad medendum.

*Quibus cerebrum vulneratur ijs febrem, & bilis vomitum ſuperuenire neceſſe eſt.50.6.*

SIgna duo prodit cerebri vulnerati, febrem, & vomitum bilioſum: febris quidem naſcitur ex corrupto ſanguine intra cerebrum, aut eius inflammatione. Vomitus vero propter eum conſenſum, qui eſt cerebro cum ventriculo. Inflammationis namque effectus per conſenſum ventriculi patiens bilioſos humores attractos, ex proximus partibus vbi continebantur, per ſuperiores partes excludit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Si de repente lingua incontinens fiat, aut aliqua pars corporis attonita stupet, signum est melancholicum.* 40.7.

CONsequens huius aphorismi non est necessarium: vide doctum commentarium dureti.

*Sternutamentum cietur ex capite, cerebro excalfacto, aut perhumectato spatio in capite inani: aër enim intus contentus foras erumpit, strepit autem quia per Angustum, ipsi est exitus.* 51.7.

REcenset causas sternutamenti à quibus duci potest indicatio iuuandi sternutamenta, aut expurgandi cerebri onusti, per sternutamenta: Adde irritationem, quæ mouet cerebrum ad expellendum, quod noxium est. Quare medici commoturi sternutamentum, in nares acria immittunt.

*Anxietudinem, oscitationem, horrorem, vinum pari aqua portione potum, soluit.* 56.7.

PErtinet hic aph. ad curationem eius autem doctissimam explicationem vide in commentarijs dureti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

*Sudor multus calidus, aut frigidus superfluens, humiditatem in robusto quidem supernè, imbecillo vero infernè vacuādam esse demonstrat.*

Signum describit purgationis per vomitum, aut secessum. Sudor namque copiam humoris, vt plurimum corrupti ostendit, quæ purgationem indicat.

*A sanguinis vomitione tabes, & puris supernè eruptio, à tabe fluxio de capitè, à defluxu, alui profluuium, ab alui profluuio retentio superioris purgationis, à retentione mors.* 7 4. 4.

Vomitio largo modo sumitur, prout præter vulgarem significationem denotat etiam sanguinis è pulmonè reiectionem : non sequitur tamen eam phthisis, vt multis experientijs probatum est. Quia tamen vt plurimum reiectionis illius consectaria est tabes, vt est Hipp. sententia., A tabe permouetur fluxio è capitè in partes subiectas, & vt plurimum in pulmones, in vlceris & tabis incrementum : pendet vero hic fluxus è capitè, à debilitata facultate naturali : tum à calore vehementi fundante, & colliquante humores : eius vero materiæ è cerebro delabentis pars aliqua, in ventriculum defertur : Vnde nascitur alui profluuium ; tum à debilitata facultate retentrice: morbi

violentia. Ex alui profluuio debilitante totum corpus, & potissimum facultatem musculorum motricem, fit suppressio sputi, quod expelli non possit: ab eo suffocatio & mors.


*Qualia quæ per vrinas, & aluum subeunt, & quæ per carnes obeunt: & si qua alia corpus à natura recedat, spectare oportet: Nam si parum, paruus morbus est: si multum magnus: si valde multum, iam tale fuerit perniciosum.* 75.5.

HIc aph. tam facilis est, vt explicatione non egeat; facit vero ad prognosim Quæ parùm à natura sanorum recedunt, exiguum significant morbum: si verò multum, magnum: quæ autem extremum recessum indicant, perniciosi morbi signa existunt.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
2347/A